Digitized by Google

Ph. Sp. 63 f Baumgarten

<36616402500017

<36616402500017

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

ALEX. GOTTL. BAVMGARTEN,
PHILOSOPHIAE QVONDAM IN ACADEMIA VIADRINA PROFESSORIS P. O. CELEBERRIMI,

ACROASIS LOGICA,

AVCTA, ET IN SYSTEMA REDACTA,

A

IOANNE GOTTLIEB TOELLNERO,
PHILOSOPHIAE IN EADEM ACADEMIA PROF. P. O. THEOLOGIAE P. E.

EDITIO SECVNDA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS CAROL. HERM. HEMMERDE,
MDCCLXXIII.

Digitized by Google



LECTVRIS

SAL. PLVR. DIC.

IOA. GOTTLIEB TOELLNER,

Paucissimis tum consilii, quod cepi, ACROASIN collegae mei quondam celeberrimi LOGICAM augendi et in systema redigendi, tum rationis, qua id exsequendum mihi visum est, caussae praefanda sunt. Superfluum agerem, limatissimum, quod auctor tam insigne inter recentiores philosophiae doctores nomen, ad omnes philosophiae partes attulit, ingenium praedicando: iure meritoque suo ob idem ab HILLERO in *curriculo philosophiae*, tam eleganter quam solide scripto, subtilissimus philosophus salutatus. Singulari prorsus

Digitized by Google

et fere vnica hinc pollebat ad ſcripta acroamatica omnes numeros implentia dexteritate: et teſtantur eamdem, quibus metaphyſicam, ethicam philoſophicam, aeſtheticam, et practicam primam, audituris praeiuit. Vel in definiendo accurationem, vel in diſtinguendo ſubtilitatem, vel in demonſtrando vim et euidentiam, vel in ordine ac methodo lucem cum ſoliditate, vel in breuitate copiam, et in copia breuitatem, ſpectes ac poſtules: non contingent tibi facile ſcripta eius generis cum Baumgartenianis comparabilia. Scripta philoſophi quondam noſtri acroamatica tantam tamque raram vbique accurationem logicam prae ſe ferunt, vt vniuerſa logicam adplicatam adplicataeue in philoſophia exempla praeſtantiſſima dixerim.

A viro tam eximie logico practico nec vulgaria in diſciplina logices exſpectanda erant: et acroaſis ipſius logica tum definitionibus rerum exaſciatis, tum regularum demonſtrationibus magna ex parte nouis et ſemper ſtrictiſſimis ac euidentibus, tum regulis ipſis auctorem meditationis philoſophicae experientiſſimum

mum et vſui prouidentem teſtantibus, locupletiſſima, mihi non ſine iniuria auditoribus inferenda in ſcholis meis logicis deferenda viſa eſt. At placuit auctori, ipſam in priſtina dictatorum ad WOLFII compendium logices forma edere: circumſtantiis nonnullis ad eamdem in eadem publicandam compulſo. Hinc moleſtiſſimum ipſam in praelectionibus meis ſequens incommodum ſenſi, quod in ordinis ſaltim intelligendi gratiam ſemper WOLFIVS ad manus eſſe debeat, et in praelectione auditoribus duo compendia cum duobus auctoribus ſimul interpretanda ſint. Deinde quum WOLFIVS in acroaſi commentandus fuerit: auctor nonnullorum ſcitu dignorum, quae in proprio ſyſtemate certiſſime dixiſſet, dicendorum locum, ſaltim anſam, non habuit; nonnulla ſaluo ſyſtemate praetermittenda non dicere et illuſtrare; nec ordinem immutare eumque correctiorem et limatiorem reddere potuit. Praeſertim vero auctori non niſi dictata ſcribenti ſua ſyſtematice inter ſe connectere et ad ſyſtematis logici numeros componere et perficere nec fas nec facultas fuit. Et haec mihi cogitan-

gitanti rarissimamque tamen acroaseos accurationem, verasque in eadem scientiae logicae diuitias auditoribus subtrahere iniquum ducenti, animum dederunt, hoc qualecunque ex eadem systema compingendi, adeoque vsum eiusdem non mihi tantum, sed et aliis forsan acuminis Baumgarteniani amicis faciliorem reddendi.

Quas mihi in exsequendo proposito leges scripserim, dicam. Quum auditoribus, lectoribus etiam, non meam, sed philosophi quondam nostri acroasin logicam tradendam duxerim; omnia, quantum potui, ipsis auctoris verbis proposui, nec in definitionibus, nec in distinctionibus et determinationibus, nec in regulis earumque demonstrationibus, eumdem facile deserui: nonnulla, si mea scripsissem, forsan alia ratione propositurus: nihil quoque ab auctore in capitibus a me in systema digestis dictum et scitu dignum iudicatum facile omisi. Sed *primum* omnia eo ordine et loco collocaui, quo ex methodi syntheticae ac philosophicae legibus collocanda erant, et mihi optime collocari posse visa sunt. *Deinde*, quum systema tenta-

tentarem, tum omnia, vt potui, et quoad sine affectatione ac prolixitate fieri potuit, inter se copulaui, et vnum ex altero deduxi, tum quae hunc in finem intertexenda et inferenda erant, addidi, et nonnulla ab auctore breuius dicta luminis caussa vberius digessi, paucissima fusius dicta strictius proposui. *Porro*, quae ab auctore penitus omissa mihi tamen ex logicis scire vtilia, aut saltim in systemate logico non desideranda visa sunt, adieci. Sic non tantum prolegomenorum sectio prima tota accessit, notiones maxima ex parte ab auctore alio loco iisdem notis conceptas complectens, quas tum ad philosophiae et logices conceptum distinctum et adaequatum formandum, tum ad huius vtilitatem, finem, et tractationem intelligendam praeliminariter nosse vere non opus sed necesse est, hinc ab auctore acutissimo, si systema scripsisset, post REVSCHIVM et CORVINVM, honoris caussa prae aliis nominandos, certissime praemittendas. Sed lector acroasin conferens vbique, et in capite de syllogismis ac logica speciali praesertim, accessiones deprehendet, de quibus, an verae accessiones sint, iudi-

eium penes lectorem sit. Nonnulla fateor, rarius in vsum venientia, qualia v. c. cuncta de figuris syllogismorum praecepta sunt, possunt ex compendio logices exsulare, et potuissent hinc ex meo etiam. At vt in compendio ad vsum hominum non ad rationalem solam sed eruditam etiam, logices ipsius quoque, cognitionem formandorum destinato et conformato, saltim legi et euolui queant, tutius erat. *Denique* acroasin, quantum virium mearum tenuitatis et sub auctore inferioritatis conscientia salua audere potui, finibus suis accommodatissimam reddere in votis habens, auctorem non ita a me describendum et sequendum esse duxi, vt eumdem numquam, etsi claritas aut accuratio maior illud postulare, saltim permittere, videretur, deserere mihi liceret. Quo iure et quibus rationibus compulsus id, licet rarius, fecerim, in variis auctoris definitionibus, diuisionibus, demonstrationibus etiam, tamquam exemplis ostenderem, si non plerumque de re minoris momenti ageretur. Tamen in gratiam hominum a magno viro non nisi absolutissima proficisci posse somniantium, liceat aliqua mihi,

dum

dum haec ſcribo, adhuc recentia exempla afferre ex hermeneutica. Definiuerat auctor *ſenſum litterae* per *ſenſum orationis per lexica et grammaticas poſſibilem.* Iam vel ſenſus litterae ipſi erat ſenſus *proprius*, et probabile fit, ipſi fuiſſe hunc, quum de eodem tamquam *litteralis* ſpecie loquatur. Tunc vero definitio hoc vitio laborat, vt ſenſus improprius, quum dentur etiam tropi ac figurae vſu loquendi donatae, hinc ex lexicis et grammaticis cognoſcibiles, etiam poſſit eſſe ſenſus litterae. Vel idem auctori non eſt ſenſui proprio aequipollens; et tunc eo nomine vituperanda eſt, quod receptum definiti ſignificatum deſerat, quum ſenſus proprius et ſenſus litterae omnibus hermeneutis ſynonyma ſint. Definiuerat idem *parallelismum realem* per *parallelismum in ſignificatibus.* Hac definitione poſita, quum ſignificatus non ſint ſtricte niſi terminorum, parallelismus realis non foret niſi in locis, qua conceptus, vel iisdem vel aliis terminis ſignificatos ſimilibus: et loci, qua iudicia, hinc ſenſum ſimilia, quum non ſint parallelismi verbalis, forent nullius. Fateor, quum

omni iudicio respondeat conceptus, definitionem auctoris posse defendi, et forsan subtilissimus vir nihil scripsit, quod non potuerit defendi. At saltim clarius parallelismi realis ambitus constitui poterat. Diuisit idem legitime scripta in *historica* ac *dogmatica*, restrinxit vero illa ad scripta, quorum thema est historia, et hoc est, rei singularis praeteritae illustratio. At res singulares praesentes ac futurae etiam possunt scribi, nec tamen themata fiunt scripti dogmatici. Hinc diuisio ita concepta non erat completa.

Sed abstineo merito a pluribus. Si non omnia vltimam auctoris limam experta, et nonnulla mihi saltim ad vsus scholarum logicarum accommodatius dicenda visa sunt, tam pauca in libro paruae molis quidem sed rebus et notionibus copioso tamen sunt, vt me ab auctore rarius et non facile discessisse cuiuis ipsum conferenti manifestum futurum sit. Maxima et paene sola alicuius momenti ab auctore discessio comparebit in logica speciali a me dicta. Qui rarissime et fere numquam aliqua ex acroasi omisi, hic vniuersa capita, DY-

NAMI-

NAMICAM, INVENTORVM et SCRIPTORVM CRITICAM, nec non DE LIBRIS LEGENDIS praecepta suppressi. Nam quae in reliquis alio sub titulo et ordine proposita fuerunt, lector suo loco inueniet bona omnia. Et tota logica alias practica dicta hic aliam formam induit. Sunt immutationis huius rationes reddendae. *Primum* solita illa logicae in *theoreticam* et *practicam* distributio aperte notionibus suis non respondet, quum certo significatu vniuersa logica scientia practica sit, et disciplinae saltim sub hoc nomine in logicis proponi solitae non magis practicae sint, quam NOETICA, THETICA et SYLLOGISTICA. Accuratius forsan eaedem logicae *adplicatae* nomine comprehendi possent: quatenus regulae in logica alias theoretica dicta demonstratae generaliores ad nonnulla illis conformiter cognoscenda adplicantur. *Deinde* vero admodum arbitrarie mihi hucusque hae et non aliae logicae adplicatae partes constitutae visae sunt: vnde etiam nullus fere in earum nec numero, nec complexu et contentis, inter doctores consensus est. Et WOLFIVS, et

et reliqui compendiorum aut ſyſtematum logicorum auctores fere omnes, mihi ex vago logices conceptu illam nunc omnibus cognitionem eruditionemque humanam concernentibus locupletandam; nunc vel ad philoſophice cognoſcendum reſtringendam, vel ad tali ratione proponendum etiam extendendam, nunc tamquam ſtudendi ſcientiam tractandam eſſe, et hinc alium alias in eamdem diſciplinas recipiendas eſſe duxiſſe mihi videntur: non in optione facta ſemper felices. Diſtinguenda erit logica viris aut ingeniis in meditando iam exercitatis, et logica ad meditandum primum praeparandis ſcribenda. In illa dynamica, inuentorum critica, heuriſticae, et ſimiles diſciplinae plures erunt vtiliſſimae; in hac de ſcriptorum didacticorum et acroamaticorum iuſta conſtitutione et vſu, de philoſophiae methodique philoſophicae ad alias diſciplinas recta adplicatione, et de aliis compluribus, vtiliter diſſerendum foret. At in quam molem excreſceret ſyſtema logices, ſi nihil ad eruditionem comparandam aut amplificandam ſcitu vtile in eadem deſiderari debeat!

beat! Sunt fines illius constituendi, tempus in academiis tractationi illius dicari solitum praesertim non excedentes: et hos mihi ex limatissima auctoris de logica, quam aiunt, artificiali definitione, verissimos et iustissimos detexisse et descripsisse persuadeo. Logica regulas cognitionis intellectualis demonstrat. Iam omnis cognitio humana *conceptibus*, *iudiciis*, et *ratiociniis* non absoluitur tantum, sed etiam composita est: hinc perficitur, dum conceptus, iudicia, et ratiocinia perficiuntur. Ergo de his perficiendis in logica, quoad homines erunt illam docentes vel discentes, praecipiendum erit: et ex illorum perficiendorum praeceptis oritur *logica* quaedam, quum cognitionem humanam in genere formet, recte *generalis* dicenda. Sed triplex nobis est cognoscendi et cognitionis principium, *experientia*, *ratio ac testimonium*, et circa singula peculiaria plura obseruanda sunt, vt cognitio ex illis petenda suas perfectiones habeat. Ergo logica haec non praecipiens, cognitionis humanae perficiendae non completa scientia foret: hinc notioni suae non ex asse responderet.

Sic

Sic vero oritur altera aliqua *logica*, quum cognitionis humanae ſpecies formet, commode *ſpecialis* denominanda, EMPIRICAM, LOGICAM STRICTIVS DICTAM, et MARTYROCRITICAM complectens. At vtraque coniuncta ambitus logices ex eiusdem notione definiendus vere abſoluitur: adeoque me, hoc poſito, capitibus logices ſic dictae practicae omiſſis, et ab auctore WOLFIVM commentante non omittendis, nihil logicae ſubtraxiſſe in aprico eſt. HERMENEVTICAM et APODICTICAM ſubiunxi, non quod easdem partes logicae quaſi conſtitutiuas aut logicam illis excluſis incompletam iudicauerim, ſed quia vtramque noſſe erudito et erudiendo vtile ac neceſſarium eſt, et tamen extra ſcholas logicas in academiis nec hanc nec illam imbibendi occaſio fieri ſoleat.

De duobus tantum adhuc lector a me informandus eſt. Adiecerat auctor capitibus et paragraphis, in praelectionibus ſuis vel omnino non vel breuius tantum illuſtrandis, exempla ſelecta certiſſime, licet non ſemper captui coronae

ronae logicae in academiis ordinariae attemperatae. Haec omisi cuncta, quia in scripto acroamatico omnia ad illustrationem pertinentia ad commentationes illorum orales rite reseruantur. In eo tamen auctorem imitatus sum, vt in logica speciali, et posterioribus capitibus in genere, fusius proposuerim, quam in generali et prioribus: auditoribus in ob temporis plerumque rationes breuius illustrandis consulturus. Deinde praestantissima auctoris de logica definitione per vniuersam tamquam directrice ita vsus sum, vt defectum a REVSCHIO notatum magis quam emendatum cauerem, et logicam non ad *veram* et *distinctam* tantum, sed *extensiue* et *intensiue perfectam* cognitionem formantem scriberem. Neminem praeter MEIERVM, celeberrimum, carissimum et clarissimum inter ex BAVMGARTENII disciplina profectos nomen, scirem, qui huic logices perfectioni operam dedisset. Per vniuersam itaque, vt dicam quod res est, logicam tam de *copia*, quam de *veritate*, de *claritate*, et de *certitudine* in cognitione comparanda et augenda, leges tuli

tuli ac demonstraui. *Nobilitatem* seu dignitatem, et *vitam* cognitionis, reliquas eiusdem perfectiones quasi cardinales, intactas reliqui: illam, quia mihi nulla cognitio in se indigua visa est, eiusque dignitatis aut indignitatis, a circumstantiis plerumque pendentis, regulae generales vix scribendae sunt; hanc vero, tum quia logica non tam ad vitam, quam ad eruditionem potius ac propius spectat, tum quia vita in cognitione reliquarum illius perfectionum maxima ex parte effectus quasi et consectarium est. De summa logices ad rerum diuinarum non minus quam humanarum intelligentiam certitudinemque vtilitate conuictus, vt hoc qualecunque, eamdem solidam et fini conuenientem proponere, tentamen non inutile sit, et, vbi errauero, lectores homini indulgentes inueniam, in votis habeo. Scripsi in academia regia viadrina idib. mart. anni MDCCLXV.

PRO-

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

DE COGNITIONE ET FACVLTATE COGNOSCITIVA IN GENERE.

1) *cognitio* §. 1 .. 10. 2) *perfectio cognitionis* §. 11 .. 33.

§. I.

Sibi aliquid repraesentare est illud PERCIPERE.

§. 2. Diuersitatem percipere est DISTINGVERE.

§. 3. Quae ens aliquod distinguit, illa APPERCIPIT, seu eorum sibi est conscium *.

A Per-

Digitized by Google

Perceptio appercepta * est COGITATIO: et ens facultate cogitandi praeditum est COGITANS.

* *derer ist es sich bewust, solche bemerkt es, solche nimt es wahr.*

§. 4. COGNITIO * *latius* sumta est repraesentatio in cogitante, seu perceptio (§. 1.); *strictius* est complexus repraesentationum in cogitante, seu complexus perceptionum (§. 1.).

* *die Erkenntnis.*

§. 5. Cognosco. Ergo habeo facultatem cognoscendi, seu *facultatem cognoscitiuam* (intellectum latius dictum §. 16).

§. 6. Id, quod cognoscitur, est OBIECTVM COGNITIONIS * (cognitio obiectiue sumta).

* *der Gegenstand, oder Vorwurf der Erkentnis.*

§. 7. Obiectum cognitionis vel vnum est: et eius cognitio dicitur CONCEPTVS* (idea, notio latius §. 51.); vel relatio vnius conceptus ad alterum, qua sibi inuicem conueniunt aut repugnant. Quae si cognoscitur immediate, eius cognitio est IVDICIVM**; si mediante tertio conceptu, eius cognitio est RATIOCINIVM ***.

* *ein Begrif,* ** *ein Urtheil,* *** *ein Schlusß.*

§. 8. Sunt in me conceptus, iudicia, et ratiocinia: *tres mentis operationes.* Ergo habeo facultatem conceptus formandi, id est, *simpliciter apprehendendi*, facultatem iudicandi

di i. e. *iudicium* * (latius et pro facultate ſumtum), et facultatem ratiocinandi i. e. *rationem* latius dictam ** (§. 29).

* *Vrtheilskraft oder Vrtheilsvermoegen.* ** *Vernunft in weitrer Bedeutung.*

§. 9. RATIO * eſt id, ex quo cognoſcibile eſt, cur aliquid ſit: et ratio et rationatum connexa ſunt. Rationem continens eſt PRINCIPIVM. Principium cognitionis eſt PRINCIPIVM COGNOSCENDI **.

* *ein Grund,* ** *ein Erkentnisgrund oder eine Erkentnisquelle.*

§. 10. Cognoſco (§. 5.): nunc per ſenſationem, nunc per ratiocinium, nunc per teſtimonium. Ergo triplex mihi eſt principium cognoſcendi (§. 9.), et triplex cognitionis medium: *ſenſus* (internus et externus), *ratio* (§. 8.), et *fides*.

§. 11. In cognitione quacunque (§. 10.) diiudicanda tum ad ea, quae cognoſcuntur, hoc eſt, *materiale* et obiectum cognitionis (§. 6.), tum ad cognitionem ipſam, hoc eſt, *formale* cognitionis, attendendum eſt.

§. 12. Quo plura cognoſcuntur, eo VBERIOR; quo maiora, eo DIGNIOR (nobilior) eſt cognitio. Hinc patet, quid VBERTAS * (copia, vaſtitas), et quid DIGNITAS ** (nobilitas, magnitudo) cognitionis ſit.

* *der Reichtum oder die Weite und Weitlaeuftigkeit der Erkentnis.* ** *die Wuerde, der Adel, die Groeſſe der Erkentnis.*

§. 13. Cognitio, quae non tantum videtur, sed et est, VERA est. Cognitio non vera FALSA, apparens ERROR est. Hinc cognitio cum obiecto suo conueniens vera; non conueniens falsa est.

§. 14. Cognitio, cuius obiecti conscii sumus (§. 3.), CLARA *; non clara OBSCVRA ** est. Clara clarorum in obiecto variorum DISTINCTA ***; obscurorum CONFVSA †; non distincta INDISTINCTA ††, seu sensitiua est. Hinc, quid claritas, obscuritas, distinctio, confusio et indistinctio cognitionis sint, patet.

* *eine klare*, ** *eine dunkle*, *** *eine deutliche*, † *eine verworrene* †† *eine undeutliche Erkentnis.*

§. 15. Dantur gradus claritatis in cognitione: et distinctio maior claritatis gradus est (§. 14.).

§. 16. Multa clare cognosco, id est, *cogito* (§. 14. 3); nonnulla clarius alii i. e. *attendo*; nonnulla obscurius aliis i. e. *abstraho*; nonnulla distincte, i. e. *intelligo*; plura indistincte i. e. *sensitiue*. Nonnumquam ad varia in obiecto successiue attendo i. e. *reflecto*; et post reflexionem ad totum i. e. *comparo*. Ergo habeo facultatem cogitandi, attendendi *, abstrahendi **, intelligendi, hoc est INTELLECTVM *** (strictius dictum §. 5.), *facultatem cognoscitiuam superiorem* †, sensitiue cognoscendi, hoc est, *facultatem*

cultatem cognoscitiuam inferiorem ††, refle-ctendi ††† et comparandi †*.

* *das Vermoegen der Aufmerksamkeit, oder auf etwas zu achten.* ** *das Vermoegen zu abstrahiren oder der Abstraction, oder sich etwas aus den Gedanken zu schlagen.* *** *der Verstand.* † *das obere,* †† *das untere Erkentnisvermoegen.* ††† *das Vermoegen etwas durchzudenken.* †* *das Vermoegen etwas zu ueberdenken, im Ganzen zu uebersehn.*

§. 17. Posita cognitione vera (§. 13.), vel veritatis illius sumus conscii, vel non: et si sumus, vel sine formidine oppositi, vel non sine formidine oppositi. Si prius, cognitio nobis CERTA, si posterius INCERTA, est. Hinc, quid CERTITVDO* cognitionis sit, patet.

* *die Gewisheit.*

§. 18. In certitudine cognitionis est conscientia veritatis (§. 17.): ergo clara veritatis cognitio (§. 14.), vel distincta, vel confusa (§. eod.): vel ex sensatione, vel ex ratiocinio, vel ex testimonio (§. 10.). CERTITVDO ex sensatione PHYSICA *, ex ratiocinio LOGICA **, ex testimonio HISTORICA *** est.

* *eine sinnliche,* ** *eine vernuenftige,* *** *eine historische Gewisheit.*

§. 19. Formido oppositi euanescit, si cognoscatur, oppositum esse impossibile, vel absolute, vel hypothetice. Si prius, cognitio MATHEMATICE (geometrice complete) CERTA est (§. 17.). Hinc, quid CER-

TITVDO MATHEMATICA * (geometrica completa) sit, patet. Certitudo non mathematica MORALIS ** est.

* *eine mathematische oder geometrische Gewisheit.* ** *eine sittliche.*

§. 20. Posita cognitione incerta (§.17.), vel tamen plura clare cognoscimus ad veritatem cognitionis requisita, quam ad veritatem oppositi; vel pauciora. Si prius, cognitio nobis PROBABILIS *; si posterius, IMPROBABILIS ** est. Si requisita ad veritatem cognitionis clare cognoscimus aequalia requisitis ad veritatem oppositi, cognitio nobis DVBIA *** est. Agnoscere aliquid sibi dubium est de eo DVBITARE.

* *eine wahrscheinliche,* ** *eine unwahrscheinliche,* *** *eine zweifelhafte Erkentnis.*

§. 21. Dantur gradus certitudinis in cognitione (§.17. 18. 19.).

§. 22. Cognitio cum appetitionibus et auersationibus obiecto conuenientibus VIVA * (latius); non viua MORTVA est.

* *eine lebendige Erkentnis.*

§. 23. Defectus cognitionis, IGNORANTIA, negatio; cognitio realitas, et ad vitam felicem vtilis est. Consensus variorum in cognitione discernibilium (§. 12 22.) ad illam realitatem est eius perfectio. Hinc, quo vberior, dignior (§.12.), verior (§.13.), clarior (§.14.), certior (§.17.), et ardentior (§.22.) cognitio est, eo perfectior, et ad vitam felicem vtilior est.

§. 24.

Digitized by Google

§. 24. EXTENSIO COGNITIONIS * est perfectio, qua multa quomodocunque cognoscuntur; qua quotacunque melius, est INTENSIO COGNITIONIS **.

* *die Ausdehnung oder Weite.* ** *die mehrere innere Guete der Erkenntnis.*

§. 25. Cognitio extensiue et intensiue perfectior ERVDITA *; erudita dignior (§. 12.) ERVDITORVM est.

* *eine gelehrte Erkentnis.*

§. 26. Cognitio de sola rei existentia HISTORICA (vulgaris, τῦ ὅτι, empirica, phaenomenorum, exoterica); cognitio rei ex rationibus est PHILOSOPHICA (rationalis, τῦ διότι, esoterica, acroamatica). Ergo omnis cognitio erudita et est philosophica; sed non vice versa (§. 25.). Et patet, quid sit PHILOSOPHARI.

§. 27. Qui ex rationibus cognoscit, vberius, verius, clarius, et certius cognoscit. Ergo cognitio philosophica perfectior, et ad vitam felicem vtilior est historica (§. 23.).

§. 28. Qui ex rationibus cognoscit, cognoscit rem, rationes rei, et nexum rei cum suis rationibus: ergo varia in obiecto clare: ergo distincte (§. 14.). Ergo omnis cognitio philosophica est distincta; sed non v. v.

§. 29. Cognosco quaedam ex rationibus. Ergo nexum quorumdam distincte percipio

(§. 9. 28.). Ergo habeo facultatem nexum rerum diſtincte percipiendi: ergo intellectum (§. 16.) nexum rerum perſpicientem, id eſt, RATIONEM * (ſtrictius dictam §. 8.).

* *Vernunft in engerer Bedeutung.*

§. 30. Cognitio INTELLECTVALIS eſt cognitio per intellectum actuanda: ergo cognitio diſtincta (§. 16.) et philoſophica (§. 28.).

§. 31. COGNITIONEM INTELLECTVALEM PERFICERE, quid in genere ſit, ex §. 23. patet. In ſpecie, quo vberior fit, illo *extenſiue*, quo diſtinctior, et magis philoſophica (§. 30.), adeoque ſimul verior et certior fit (§. 27.), illo *intenſiue* perficitur (§. 24.).

§. 32. Certa ſunt (obiectiue), quae indubitata ſunt (§. 20.). Cognitio certa ex certis eſt SCIENTIA * (cognitio ſcientifica). Ergo cognitio et ſcientia differunt (§. 4.); et omnis ſcientia eſt etiam cognitio philoſophica (§. 26.); ſed non v. v.

* *eine Wiſſenſchaft, oder wiſſenſchaftliche Erkentnis.*

§. 33. Ex certis diſtincte cognoſcere eſt DEMONSTRARE *. Ergo omnis ſcientia demonſtranda eſt (§. 32.).

* *Erweiſen.*

SECTIO

SECTIO II.

DE PHILOSOPHIA.

1) *definitio* §. 34-36. 2) *partes* §. 37. 38. 3) *vsus* §. 39. 4) *historia* §. 40.

§. 34.

Quidquid in ente praeter quantitatem cognoscibile est, QVALITAS * est.

* *eine Beschaffenheit.*

§. 35. PHILOSOPHIA est scientia qualitatum in rebus sine fide cognoscendarum. Ergo philosophia demonstranda (§. 33.), et cognitio philosophica est (§. 26.); sed tamen philosophia et cognitio philosophica inter se differunt (§. eod.).

§. 36. COGNITIO quantitatis in rebus est MATHEMATICA, eiusque scientia, MATHESIS. Ergo philosophia et mathesis differunt (§. 35.).

§. 37. Philosophia, quatenus inter homines exculta est, considerat ens

I. in genere, ONTOLOGIA * (metaphysica strictius).

* *die Grundwissenschaft.*

II. in specie

1. necessarium, THEOLOGIA NATVRALIS *
   * *die natuerliche Gottesgelehrsamkeit, oder die Gottesgelahrheit der Vernunft.*
2. contingentia
   a. in genere, COSMOLOGIA *
      * *die Weltwissenschaft.*
   b. in specie in hoc mundo
      α. corpora, qua nexum
         א. effectiuum PHYSICA *
            * *die Naturlehre.*
         ב. finalem, TELEOLOGIA PHYSICA *
            * *die Lehre von den Zwecken der Dinge in der Natur.*
      β. Spiritus
         א. in genere, PNEVMATICA *
            * *die Geisterlehre.*
         ב. in specie animam humanam.
            1) generatim, PSYCHOLOGIA *
               * *die Seelenlehre oder Seelenwissenschaft.*
            2) speciatim, ratione facultatis
               A) cognoscitiuae,
                  a) inferioris, AESTHETICA *
                     * *die Wissenschaft des Schoenen.*
                  b) superioris, LOGICA *
                     * *die Vernunftlehre.*
               B) appetitiuae, PRACTICA *
                  * *die praktische Weltweisheit, zum Unterschiede von der theoretischen, dahin alle vorigen Theile derselben gehoeren.*
                  a) in genere, PRACTICA VNIVERSALIS, SEV PRIMA.
                  b) in specie, respectu obligationum
                     α) externarum, in statu

1. na-

1. naturali, IVS NATVRAE *

* *das natuerliche Recht, oder das Recht der Vernunft.*

2. ſociali,

a. generatim, IVS SOCIALE *

* *das geſellſchaftliche Recht der Vernunft.*

b. ſpeciatim, in ſtatu

α. domeſtico, *ius oeconomicum* (familiae,) *

* *das algemeine Recht des Hauſes.*

β. ciuili, *ius ciuitatis vniuerſale* *

* *das algemeine Stadt-Recht.*

1) in ſtatu priuato, *ius ciuile vniuerſale* *

* *das algemeine buergerliche Recht.*

2) in publico

a) generatim, *ius publicum vniuerſale latius* *

* *das algemeine Staats-Recht in weiterer Bedeutung.*

b) ſpeciatim, ratione rerum gerendarum,

α) domi, *ius publicum vniuerſale ſtrictius dictum* *

* *das algemeine Staats-Recht in engerer Bedeutung.*

β) foris, IVS GENTIVM *primarium* *

* *das algemeine Voelker-Recht.*

β) internarum, in ſtatu

1. naturali, ETHICA (philoſophia moralis) *

* *die natuerliche Sittenlehre, oder die Sitten-oder Tugend-Lehre der Vernunft.*

2. ſocia-

2. ſociali, *prudentia ſocialis* *

* *die vernuenftige Klugheit des geſellſchaftlichen Lebens.*

a. in ſtatu domeſtico, OECONOMICA *

* *die vernuenftige Klugheit des Hauſes, oder im Hauſe.*

b. in ſtatu ciuili, POLITICA *

* *die algemeine Staatsklugheit, oder die vernuenftige Klugheit des buergerlichen Lebens.*

§. 38. Ergo NOSTRA PHILOSOPHIA* eſt ſcientia qualitatum nonnullarum in rebus ſine fide cognoſcendarum (§. 35.): in diſciplinas diſtributa.

* *die Philoſophie, ſo fern ſie unter den Menſchen angebauet iſt, oder als ein Inbegrif von Diſciplinen betrachtet.*

§. 39. Ad quae cognitio philoſophica (§. 27.), ad illa philoſophia (§. 35.), hinc ad vitam felicem (§. 33.); nominatim vero ad omnem reliquam eruditionem (§. 25.), formaliter et materialiter (§. 11.) vtilis eſt.

§. 40. Philoſophia nec extenſiue nec intenſiue (§. 24.), nec materialiter nec formaliter (§. 11.), omnium philoſophorum ac temporum eadem eſt. Hinc *antiqua*, *media*, et *noua*, ſeu *recentior*, diſtingui poſſunt.

SECTIO

* * * * * * * * * * * *

SECTIO III.

DE
L O G I C A.

1) *definitio ac diuisio* §. 41-45. 2) *partes* 46. 3) *vsus* §. 47. 4) *historia* §. 48.

§. 41.

Regulae sunt, secundum quas intellectus dirigendus est ad cognitionem extendendam et intendendam (§. 24.): ergo regulae cognitionis intellectualis perficiendae (§ 31). Complexus harum regularum *latissime* et *obiectiue* LOGICA est.

§. 42. LOGICA (dialectica, ars rationis, analytica, sensus veri et falsi, via ad veritatem, scientia scientiarum, medicina mentis, organon, pharus intellectus) ARTIFICIALIS est philosophia cognitionis intellectualis perficiendae. Ergo regulas cognitionis intellectualis extendendae et intendendae demonstrat (§. 41. 35.).

§. 43. Quidquid in anima praeter logicam artificialem naturaliter cognitionis intellectualis caussa est propior, est LOGICA NATVRALIS *.

* *der Mutterwitz, oder blosse gesunde Verstand.*

§. 44. Dispositio ad intelligendum, cum qua nascimur, est LOGICA NATVRALIS

LIS CONNATA *. Quidquid ad illam accedit logices naturalis est ACQVISITA **.

* *der angebohrne Mutterwitz.* ** *der Gebrauch des blossen gesunden Verstandes.*

§. 45. Logicorum cognitio est LOGICA THEORETICA * (docens): vel solo vsu, vel ope logices artificialis acquisita (§. 42. 44.). Habitus secundum huius regulas (§. 41.) cognoscendi, (vtens seu) PRACTICA ** est.

* *in der Kenntnis.* ** *in der Anwendung.*

§. 46. Logica artificialis (logica simpliciter dicta) regulas cognitionis intellectualis perficiendae demonstrat (§. 42.): ergo perficiendorum conceptuum, iudiciorum, et ratiociniorum (§. 7.): tum per sensum, tum per rationem, tum per testimonium cognoscendorum (§. 10.). Hinc GENERALIS et SPECIALIS est, ad quam hermeneutica et apodictica vtiliter accedunt. Et hinc partes logices sunt,

I. Generalis,

1. de conceptibus, NOETICA *, cap. I.
   * *die Lehre von den Begriffen.*
   1) de ipsis, sect. 1.
   2) de terminis eorum *, sect. 2.
      * *von den Zeichen der Begriffe und insonderheit den Worten.*
   3) de definitionibus eorum *, sect. 3.
      * *von den Erklaerungen.*
   4) de diuisionibus eorum *, sect. 4.
      * *von den Eintheilungen.*

2. de

2. de iudiciis, THETICA *, cap. 2.

* *die Lehre von den Saetzen.*

3. de ratiociniis, DIANOETICA, ſeu ſyllogiſtica *, cap. 3.

* *die Lehre von den Vernunftſchluessen.*

II. ſpecialis,

1. de cognitione per ſenſum, EMPIRICA *, cap. 1.

* *die Wiſſenſchaft zu erfahren.*

2. de cognitione per rationem, LOGICA ſtrictiſſime ſumta *, cap. 2.

* *die Vernunftlehre in engſter Bedeutung, oder die Wiſſenſchaft der Erkentnis aus der Vernunft.*

3. de cognitione per teſtimonium, MARTYROCRITICA *, cap. 3.

* *die Wiſſenſchaft zu glauben.*

4. HERMENEVTICA (generalis) * cap. 4.

* *die algemeine Auslegungs-Wiſſenſchaft, oder Auslegungskunſt.*

5. APODICTICA *, cap. 5.

* *die Wiſſenſchaft zu ueberfuehren oder zu ueberzeugen.*

§. 47. Logica artificialis, ad naturalem accedens, cognitionem et habitum illius (§. 45.) extendit et intendit (§. 24.). Praeter ea, ad quae philoſophia, et philoſophica cognitio vtiles ſunt, prodeſt (§. 42.). Ergo vtilis eſt (§. 39.).

§. 48.

§. 48. Post Aristotelem, et aliquas graecorum sectas, scholastici de logica bene mereri sategerunt; recentiores vero, nugis proscriptis, praeclare meriti sunt.

Digitized by Google

LOGICA GENERALIS.

CAPVT I.

NOETICA, SEV DE CONCEPTIBVS.

SECTIO I.

DE CONCEPTIBVS IPSIS.

1) *definitio ac diuisio* §. 49 - 78. 2) *perfectio conceptuum* §. 79 - 126.

§. 49.

CONCEPTVS est repraesentatio vnius in cogitante (§. 7.), seu perceptio vnius (§. 4.).

§. 50. Vnum, quod percipitur, est obiectum conceptus (§. 6.), et CONCEPTVS OBIECTIVVS; perceptio ipsa CONCEPTVS FORMALIS est.

§. 51. Obiectum conceptus vel est ens *singulare* seu indiuiduum, vel *vniuersale*, hoc est, pluribus commune. Conceptus singularis seu indiuidui IDEA*; conceptus

com-

communis, ſeu eiusdem in pluribus, NOTIO ** eſt (ſtrictius §. 7.).

* *ein Begrif von einem einzelnen Dinge,* ** *ein mehrern gemeiner Begrif, unbequem ein algemeiner Begrif.*

§. 52. Omnis conceptus aut idea aut notio eſt (§. 51.).

§. 53. Notio pluribus commune repraeſentat (§. 51.): ergo eſt poſt repraeſentationem ſingulorum. Ergo idea (ſed non omnis §. 76.) prior eſt notione.

§. 54. Quidquid in ente diſtingui poteſt, ratio diſtinctionis entis ab aliis eſt (§. 2.), hinc NOTA (character, diſcrimen) *: vel in ente in ſe ſpectato repraeſentabilis, vel non niſi in ad aliud relato. Illa INTERNA (intrinſeca); haec EXTERNA (extrinſeca) eſt: vel poſitiua vel negatiua, vel propria vel communis, vel ſufficiens vel inſufficiens, vel conſtans vel inconſtans ſeu mutabilis, vel foecunda vel ſterilis.

* *ein Merkmal.*

§. 55. In omni conceptu ſunt notae (§. 54.): et, quum quaeuis nota vnum ſit, plures conceptus contenti (§. 49.), hinc cum conceptu ſimul repraeſentati. CONCEPTVS notae dicitur eum, cuius notam repraeſentat, INGREDI *, ſeu in eo contineri, et ſtrictius eidem conuenire.

* *Ein Begrif koemt in den andern hinein, oder iſt in dem andern enthalten, oder koemt dem andern zu.*

§. 56.

§. 56. NOTIO pluribus commune repraesentat (§. 51.): hinc notam plurium (§. 54.): hinc alios conceptus ingreditur, et in aliis continetur (§. 55.). Quos ingreditur, seu in quibus continetur, illos SVB SE CONTINET (complectitur, comprehendit) *. Conceptus sub notione contenti ad eamdem referuntur.

* *dieselben enthaelt sie unter sich.*

§. 57. CONCEPTVS alium sub se continens est respectu ipsius SVPERIOR (transscendentalis) *. CONCEPTVS sub alio contentus est respectu ipsius INFERIOR **. Ergo omnis notio est respectu aliquorum conceptuum conceptus superior (§. 56.). Complexus inferiorum sub illa contentorum est illius ambitus ***.

* *der obere oder hoehere,* ** *der untere oder niedrigere Begrif,* *** *der Vmfang des hoehern Begrifs.*

§. 58. Inferiores notionis sunt vel ideae, vel notiones (§. 52.). Si prius NOTIO est SPECIEI *; si posterius, NOTIO est GENERIS **: vel inferioris, vel superioris, vel infimi vel summi, et vel proximi, vel propioris, vel remoti.

* *Ein Begrif einer Art oder Gattung.* ** *Ein Geschlechtsbegrif.*

§. 59. Notio, conceptus superior (§. 57.), pluribus, inferioribus suis (§. 57.), commune repraesentat (§. 51.). Notae inferioris in ipsius superiore non contentae

ſunt illius DIFFERENTIA*: vel numerica, vel ſpecifica, vel generica (§. 58.).

* *der Vnterſchied oder die genauere Beſtimmung des niedrigern Begrifs.*

§. 60. Conceptus ſuperior inferioribus ſuis commune repraeſentat (§. 52. 51.). Hinc quidquid eſt in ſuperiore, eſt etiam in omnibus eius inferioribus; ſed non v. v. (§. 59.).

§. 61. Quidquid in altero repraeſentari poteſt, *latius* ipſi CONVENIT *; quidquid non poteſt, ipſi REPVGNAT **. Ergo omnis conceptus alium ingrediens ipſi conuenit, latius et ſtrictius (§. 55.); ſed non omnis ipſi conueniens latius ipſum etiam ingreditur, ſeu iam in ipſo continetur et ſimul repraeſentatur. Vel repraeſentatur, vel repraeſentari poteſt.

* *das koemt dem andern zu in weitrer Bedeutung,*
** *das ſtreitet mit dem andern,*

§. 62. NOTIO, quae ſingulis ſub aliquo conceptu contentis conuenit ſtrictius, reſpectu illius ſeu OBIECTIVE dicitur VNIVERSALIS *; quae aliquibus tantum, PARTICVLARIS **.

* *ein algemeiner,* ** *ein beſondrer Begrif in Abſicht auf den Inhalt oder Vorwurf.*

§. 63. CONCEPTVS SVBIECTIVE VNIVERSALIS eſt, qui a ſingulis; PARTICVLARIS, qui ab aliquibus tantum; SINGV-

SINGVLARIS, qui ab vnico tantum repraeſentatur *.

* *ein algemeiner, ein beſondrer, ein Jemande eigner Begrif in Abſicht auf die Denkenden.*

§. 64. Conceptus obiectiue vniuerſales extenſionem (§. 24.), et rationalitatem (§. 26.) cognitionis promouent. Ergo vtiles ſunt (§. 23. 27.).

§. 65. Percipio per ſenſum (§. 10.): etiam vnum. Ergo ſunt in me CONCEPTVS PER SENSVM (internum et externum) ſeu ſenſationem (internam et externam.) *. Conceptus per ſenſum INTVITIVVS ** eſt.

* *Begriffe durch die Sinne oder Empfindung,* ** *Ein Erfahrungsbegrif in weitrer Bedeutung.*

§. 66. Omne actuale eſt ens ſingulare ſeu indiuiduum: ergo omne, quod ſentitur, ſingulare eſt. Ergo omnis conceptus per ſenſum idea eſt (§. 51.) (licet non v. v. §. 76.): et ſunt in me ideae (§. 65.).

§. 67. CONCEPTVS ab aliis ſenſus, a me per fidem cognitus (§. 10.), mihi eſt HISTORICVS. Latius quicunque et quatenus fide cognoſcitur, hiſtoricus eſt (§. 10.).

§. 68. Notio non eſt idea (§ 51.): ergo non conceptus per ſenſationem (§. 66.). Pluribus, inferioribus ſuis (§. 57.), commune repraeſentat (§. 51.). Ergo formatur abſtrahendo ab inferiorum differentia (§. 59. 16.), ergo PER ABSTRACTIONEM *.

* *durch die Abſonderung.*

§. 69. CONCEPTVS per abstractionem formatus est ABSTRACTVS *. Ergo notio est conceptus abstractus (§. 86.): et cognitio abstracta vtilis est. (§. 64.).

* *ein abgesonderter oder abstracter Begrif.*

§. 70. Sunt in me notiones. Ergo conceptus per abstractionem (§. 68.), et abstracti (§. 69.).

§. 71. Si cum conceptu alium vel alios tamquam vnum cogitamus, formatur CONCEPTVS PER COMBINATIONEM (synthesin, compositionem) *. Ita formatus COMBINATVS (compositus) **; non combinatus SIMPLEX est †.

* *ein Begrif wird durch die Verbindung gemacht.* ** *ein verbundner,* † *ein einfacher Begrif.*

§. 72. Conceptus cum alio tamquam vnus cogitari nequit, nisi in ipso repraesentabilis, hinc ipsi conueniens saltim latius (§. 61). Combinatio conceptuum, quorum vnum alteri conuenire philosophice cognoscimus (§. 26.), est COMBINATIO RATIONALIS (intellectualis §. 30.) *: et ita combinatus RATIONALITER COMBINATVS est **.

* *die vernuenftige Verbindung,* ** *ein vernuenftig verbundner Begrif.*

§. 73. Alius, qui cum conceptu combinatur, vel in eodem iam contentus est, eique conuenit strictius (§. 55.), vel non (§. 72. 61.). Si prius, *latius*; si posterius, *strictius*

ſtrictius combinatur. Hinc CONCEPTVS LATIVS et STRICTIVS COMBINATVS diſtinguendus eſt (§. 71.) *.

* *ein verbundner Begrif in weiterer und in engerer Bedeutung.*

§. 74. CONCEPTVM DETERMINARE * eſt ponere, ipſi aliquem conceptum conuenire ſtrictius (§. 51.). Ergo in omni combinatione fit determinatio: et combinatur, ſi determinatio adiicitur (§. 72.).

* *einen Begrif beſtimmen.*

§. 75. Idea, quum ens ſingulare ſeu indiuiduum repraeſentet (§. 51.), omnimode determinata eſt. Notio non omnimode determinata eſt (§. 68.), ſed tamen non omnino indeterminata (§. 55.). Hinc ſi ad ideam additur determinatio, aut ad notionem determinatio iam in illa contenta, combinatur latius (§. 73.). Strictius ergo combinatur, ſi ad NOTIONEM additur determinatio in eadem nondum contenta vel nondum determinata (§. 73. 52.): ergo ſi additur ad conceptum ſuperiorem differentia inferioris (§. 59.).

§. 76. Conceptus ipſe ſtrictius combinatus vel idea eſt, vel notio (§. 52.).

§. 77. Sunt in me conceptus combinati. Ergo conceptus per combinationem (§. 71.).

§. 78. Omnis cognitio humana ex ſenſationibus oritur: hinc conceptus per ſen-

ſum (§. 65.) primi omnium ſunt. Iam circa vnum ſenſum non poteſt occupari facultas cognoſcitiua niſi vel totum percipiendo, vel a nonnullis eius determinationibus abſtrahendo, vel easdem cum illo combinando. Hinc omnis conceptus originetenus vel per ſenſum (§. 65.), vel per abſtractionem (§. 68.), vel per combinationem (§. 71. 75.), formatus eſt: et conceptus per ſenſum priores abſtractis, et abſtracti combinatis ſunt.

§. 79. COPIA CONCEPTVVM * eſt maior eorum multitudo: ad cognitionem intellectualem extenſiue perficiendam ſaltim vtilis et neceſſaria (§. 31.).

* *der Reichthum an Begriffen.*

§. 80. Sentiendum, abſtrahendum, combinandum eſt ad copiam conceptuum (§. 78.): ſenſis, abſtractis, combinatis ab aliis augendam et amplificandam; obliuione vitata autem conſeruandam.

§. 81. Ergo multum attendendo (§. 16.), reflectendo (§. eod.), et determinando (§. 74), audiendo et legendo, deinde vero non obliuiſcendo, itur ad copiam conceptuum (§. 80.).

§. 82. Attentio promouetur

a) abſtractione ab heterogeneis,
b) collectione animi,
c) excitatione idearum materialium attendendo conuenientium,

d) ex-

d) excitatione voluptatis ex attendendo hauriendae,
e) legitima conſtitutione penſorum,
f) iuſto ordine, et
g) exercitio.

§. 83. Reflexio, quum ſit attentio (§. 16.), iisdem mediis promouetur (§. 82.).

§. 84. Determinatio promouetur, in *ideis* reflectendo circa varia in indiuiduo diſcernibilia, ſeu notas (§. 54.); in *notionibus* tum reflectendo circa notas, tum deſcendendo a ſuperioribus ad inferiores (§. 75.).

§. 85. Obliuio cauetur
a) attentione maiore, quum primo rei conceptum formamus (§. 82.),
b) crebra reproductione,
c) recognitione,
d) aduerſariis, ſeu ſcriptis non obliuiſcendorum collectitiis.

§. 86. Cognitio et facultas cognoſcitiua humana finitae ſunt. Hinc attende, audi, lege, non obliuiſcere non omnia, ſed vtilia, et tibi vtiliora (§. 81.).

§. 87. POSSIBILE * eſt omne repraeſentabile, ſeu quidquid non inuoluit contradictionem.

* *moeglich.*

§. 88. Conceptus verus eſt, qui non videtur tantum, ſed et eſt (§. 13.). Ergo conceptus poſſibilis (ſeu obiecti poſſibilis, ſeu de poſſibili,) ſeu cuius notae non inuol-

uunt contradictionem (§. 87.), VERVS* eſt; impoſſibilis FALSVS**. Conceptus apparens, ſeu quem habere putamus, quum nullum habeamus, DECEPTOR eſt*** (§. 18.).

* *ein wahrer,* ** *ein falſcher,* *** *ein Trug-Begrif.*

§. 89. Conceptus per ſenſum formatus repraeſentat obiectum exiſtens (§. 65.): hinc habet notas coexiſtentes (§. 54.), hinc compoſſibiles. Ergo verus eſt (§. 88.).

§. 90. Conceptus mihi hiſtoricus (§. 67.), ſi ab aliis ſenſus eſt, verus eſt (§. 89.).

§. 91. Conceptus abſtractus pluribus commune repraeſentat (§. 69. 51.): hinc a poſſibilibus abſtractus, immo a falſis poſt remota contradicentia, habet notas compoſſibiles (§. 60.): ergo verus eſt (§. 88.). Ergo veris inferioribus, verus eſt illorum ſuperior (§. 57.). Sed non v. v. (§. 59. 60.); nec falſis inferioribus neceſſario falſus eſt illorum ſuperior.

§. 92. Conceptus per combinationem formatus repraeſentat conuenientiam vnius conceptus cum alio vel aliis (§. 72.): hinc, ſi in illo combinati ſibi conueniunt ſaltim latius (§. 61.), habet notas compoſſibiles, et verus eſt (§. 88.). Hinc veritas conceptus combinati eſt veritas iudicii (§. 7.), pluribus modis inueſtiganda.

§. 93.

§. 93. Conceptus combinatus, si sentiatur, possibilis et verus est (§. 89.). (Sed non, si non sentiatur, falsus est).

§. 94. Conceptus combinatus ex possibilibus, quorum conuenientia demonstrari potest (§. 71. 33.), habet notas compossibiles (§. 72.), ergo verus est (§. 88.). (Sed non, si demonstrari nequit, necessario falsus est).

§. 95. Datur nexus conceptuum (§. 9.), adeo, vt vero vno verus sit alter, falso vno falsus sit alter. Hinc conceptus combinatus, quo pro falso habito verus etiam pro falso habendus esset, verus est; quo pro vero habito falsus etiam pro vero esset habendus, falsus est.

§. 96. Conceptus est cognitio (§. 49. 4.), hinc vel clarus vel obscurus, et vel distinctus vel confusus (§. 14.).

§. 97. CONCEPTVS, cuius notae obiecto illius appercipiendo sufficiunt (§. 3. 54.), CLARVS *; non clarus OBSCVRVS ** est.

* *ein klarer*, ** *ein dunkler Begrif.*

§. 98. OBSCVRUM ABSOLVTE ET OBIECTIVE * esset, quod per se non potest clare cognosci: RELATIVE ET SVBIECTIVE **, ad quod clare cognoscendum cuiusdam cognoscendis vires non sufficiunt.

* *an und fuer sich, schlechterdings.* ** *diesem oder jenem Dunkel.*

§. 99.

§. 99. In conceptu claro notae ſuffiਂciunt ad obiectum diſtinguendum (§. 97.), vel ab omnibus, vel non. Hinc COMPLETE * vel INCOMPLETE ** CLARVS eſt.

* *ein hinlaenglich klarer*, ** *ein unzulaenglich klarer*.

§. 100. Dantur gradus claritatis (§. 15.) et obſcuritatis, etiam in conceptibus (§. 97. 99.).

§. 101. Cognitio per ſenſum (§. 10.) clara eſt EXPERIENTIA. Hinc conceptus per ſenſum clarus eſt CONCEPTVS PER EXPERIENTIAM *.

* *ein Erfahrungsbegrif in engrer Bedeutung* (§. 65.).

§. 102. CONCEPTVS clarus clararum notarum DISTINCTVS * eſt; obſcurarum CONFVSVS ** (§. 14.).

* *ein deutlicher*, ** *ein verworrener Begrif*.

§. 103. Conceptum diſtinctum ingrediuntur notae clarae (§. 102.). Ergo in conceptu diſtincto appercipiuntur notae obiecti (§. 97.). Sed notae entis continent rationes de ente determinandorum (§. 74.). Ergo conceptus diſtincti vtiles ſunt ad cognitionem philoſophicam (§. 26. 28.).

§. 104. Conceptum diſtinctum ingrediuntur notae clarae (§. 102.): ergo poſſunt appercipi (§. 97.), ergo a ſe inuicem diſtingui (§. 3.). Ergo notae conceptus diſtincti

cti possunt vna post alteram cogitari (§.3.), et a vocabula cognoscente enumerari *.

* *nach einander hergesagt oder hererzaehlt werden.*

§. 105. PROPONERE * est cogitationem in altero per vocabula producere.

* *etwas vortragen.*

§. 106. Conceptus distincti notae, si enumerentur alteri per vocabula, in eodem oriri potest conceptus distinctus (§. 102.). Jam hae a vocabula cognoscente sic possunt enumerari (§. 104.). Ergo conceptus distinctus a vocabula cognoscente potest proponi.

§. 107. Conceptum distinctum ingrediuntur notae clarae (§. 102.): vel ad obiectum ab omnibus distinguendum sufficientes, vel insufficientes (§. 99.). CONCEPTVS distinctus notarum ad obiectum ab omnibus distinguendum sufficientium COMPLETVS *; insufficientium INCOMPLETVS ** est.

* *ein hinlaenglich deutlicher.* ** *ein unzulaenglich deutlicher Begrif (§. 99.).*

§. 108. Conceptum distinctum ingredientes clari (§. 55.), vel distincti sunt, vel confusi (§. 102.). CONCEPTVS distinctus notarum distinctarum ADAEQVATVS * est; confusarum INADAEQVATVS **.

* *ein zwiefach deutlicher,* ** *ein nur deutlicher Begrif.*

§. 109.

Digitized by Google

§. 109. Conceptum adaequatum ingredientes distincti (§. 108.) vel adaequati sunt vel inadaequati (§. eod.). CONCEPTUS adaequatus notarum adaequatarum PROFUNDUS est *.

* *ein tiefer, dreifach deutlicher Begrif.*

§. 110. Dantur gradus distinctionis in conceptibus, qua multitudinem ac bonitatem (§. 107. 54.), et qua claritatem notarum (§. 108. 109.). Hinc conceptus distinctus vel extensiue vel intensiue distinctior est alio.

§. 111. Percipiens rem, eamque diuersam ab aliis, hinc appercipiens (§. 3.), plus percipit, quam percipiens rem, sed non distinguens (§. 2.). Ergo conceptus clarus maior ac perfectior obscuro (§. 97.), distinctus confuso (§. 102.), adaequatus inadaequato (§. 108.), profundus non profundo (§. 109.) est (§. 23.).

§. 112. Conceptus clarus formatur, si obiectum appercipitur (§. 97.): ergo attendendo ad obiectum (§. 16.). Non attendens non nanciscitur nisi conceptum obscurum.

§. 113. ARMA SENSVVM * sunt instrumenta, per quae clare sentimus alias non nisi obscure percipienda. Ergo arma sensuum vtilia sunt ad conceptus per sensum (§. 65.) claros obtinendos (§. 97.): ergo ad experiendum (§. 101.).

* *Waffen der Sinne.*

§. 114. Conceptum distinctum formaturus

1) at-

1) attendat ad obiectum conceptus (§. 102. 112.),
2) reflectat circa notas eius (§.16.102.),
3) circa quas reflexit, eas comparet (ibid.),
4) a non comparatis abstrahat (ibid.),
5) nexum comparatarum et ordinem attendat (§. 9. 102.).

§. 115. Sensu armato multorum notae clarae fiunt sensu nudo non appercipiendae (§. 113.). Hinc sensum armare promouet etiam distinctionem conceptuum (§. 102.).

§. 116. Conceptum adaequatum formaturus formet 1) ipsum distinctum 2) ingredientes eius distinctos (§. 107.): secundum §. 114.

§. 117. Conceptum profundum formaturus formet 1) ipsum adaequatum 2) ingredientes eius adaequatos (§. 109.): secundum §. 116.

§. 118. Ad obiectum conceptus non attendens, aut circa eius notas non reflectens, aut eas tamen non comparans, aut a non comparatis tamen non abstrahens, deque ordine et nexu comparatarum incurius, non nanciscitur conceptus distinctos (§. 114.), multo minus adaequatos (§. 116.), multo minus profundos (§. 117.).

§. 119. Actio, qua aliquis claritatis gradus (§. 100.) in conceptu obtinetur, est eiusdem DECLARATIO (dilucidatio, illustra-

lustratio, explicatio, expositio) *; qua aliquis distinctionis gradus (§. 110.) in conceptu obtinetur, est eiusdem ANALYSIS SEV RESOLVTIO ** (euolutio, anatomia.).

* *die Aufklaerung.* ** *die Zergliederung oder Entwickelung eines Begrifs.*

§. 120. Conceptus resolutionem admittens RESOLVBILIS et COMPOSITVS *; non admittens SIMPLEX est et IRRESOLVBILIS **.

* *ein ausfuehrlicher und zusammengesetzter.* ** *ein einfacher und unaufloeslicher Begrif* (§. 71.).

§. 121. CONCEPTVS ABSOLVTE IRRESOLVBILIS * esset, qui per se non posset resolui. Ad quem resoluendum certi intellectus vires non sufficiunt, est RELATIVE IRRESOLVBILIS ** (§. 98.).

* *ein an und fuer sich,* ** *ein diesem oder ienem unaufloeslicher Begrif.*

§. 122. Conceptus resoluuntur in genere ad cognitionem claram vel extendendam vel intendendam (§. 110.); in specie vero vel ad proponendum (§. 106.), vel ad distinguendum (§. 2. 104.), vel ad probandum (§. 103.). vel ad exercitium. Qui nullum horum finium intendit, caueat anatomen gratuitam (§. 119.).

§. 123. Si quarumdam notarum conceptus clari obliuiscimur, possunt reliquae insufficientes esse ad appercipiendum eius obiectum. Hinc ex conceptu profundo et

ad-

adaequato fieri poteſt inadaequatus (§. 108. 109.), ex diſtincto confuſus (§. 102.), ex claro obſcurus (§. 97.), ex completo incompletus (§. 107. 99.).

§. 124. Quum claritas ſit cognitionis (§. 23.), hinc etiam conceptuum (§. 111.) perfectio: per declarationem et analyſin conceptus meliorantur (§. 119.); in caſibus §. 123. enumeratis vero deteriorantur.

§. 125. Vitatur deterioratio conceptuum, ſi cauetur obliuio (§. 123.) ſecundum §. 85.

§. 126. CONCEPTVS MIHI CERTVS *eſt, cuius veritatem clare ſine formidine oppoſiti cognoſco (§. 17.): hinc de quo notas veritatis ſufficientes §. 87 -- 96. demonſtratas clare cognoſco (§. 97.). Quo clarius (§. 100.), immo diſtinctius (§. 110.) tales cognoſco, eo certior mihi eſt conceptus, vel phyſice (§. 89. 93.), vel logice (§. 90. 94. 95.), vel, ſi conceptus mihi hiſtoricus eſt (§. 90.), hiſtorice (§. 17.); eoque perfectior mea eſt conceptus cognitio (§. 23.).

* *ein Begrif iſt mir gewis, oder ich bin deſſelben gewis.*



SECTIO II.

DE TERMINIS.

1) *definitio* §.127-133. 2) *perfectio terminorum* §.134-150.

§. 127.

TERMINVS (ſymbolum) * eſt ſignum repraeſentationis ſeu perceptionis (§. 1.). Terminus per vocem humanam vſitatior eſt VOCABVLVM **.

* *ein Ausdruck.* ** *ein Wort.*

§. 128. Conceptus termino ſignatus, ſeu termini finis, eſt eius SIGNIFICATVS *. Hinc qualis eſt conceptus, talis eſt quoque terminus, vel ſingularis, vel communis (§. 51.) ſeu abſtractus (§. 69.), et vel ſimplex vel combinatus (§. 71.). Combinatus *terminus complexus* dicitur, ex *principali* i. e. clarius reliquis repraeſentando, et *minus principali*, vel minus principalibus (§. 71.), compoſitus.

* *die Bedeutung eines Ausdrucks oder Wortes.*

§. 129. SIGNIFICATVS, termini adhibendi qui conſtitutus eſt finis primarius, eſt PROPRIVS *; non proprius IMPROPRIVS (translatus, tropicus) **. Hinc terminus

minus vel proprius vel improprius est (§. 128.).

* *die eigentliche,* ** *die uneigentliche Bedeutung.*

§. 130. Significatus improprius cum proprio vel per similitudinem, vel per nexum aliquem maiorem, vel per comprehensionem, vel per oppositionem connexus est. Hinc terminus improprius, eiusque significatus, vel metaphoricus, vel metonymicus, vel synecdochicus, vel ironicus est.

§. 131. Terminus communis significat notionem (§. 128.), saepissime superiorem, eiusque etiam inferiorem (§. 57.), vel plures sibi subordinatas, simul, immo ens singulare etiam nonnumquam sub notione contentum (§. 58.). Hinc termini communis significatus saepissime LATVS, LATIOR, et LATISSIMVS, STRICTVS, STRICTIOR et STRICTISSIMVS* est: per synecdochen formatus (§. 130.).

* *eine weite, weitere, ganz weite oder weiteste, und eine enge, engere, ganz enge oder engste Bedeutung.*

§. 132. VSVS LOQVENDI * est consensus plurium in communi vita, certo termino certum conceptum significandi; hic in disciplinis RECEPTVS TERMINORVM SIGNIFICATVS ** dicitur.

* *der gemeine,* ** *der gelehrte Sprachgebrauch.*

§. 133. Significatum ex termino cognoscens illum INTELLIGIT *. PROPO-

NENTEM autem INTELLIGIT ** eumdem ex eius termino significatum cognoscens, quem proponens significare voluit.

* *der versteht den Ausdruck oder das Wort,* ** *der versteht aber den Redenden.*

§. 134. Terminis opus est ad proponendum (§. 105.). Sed termini etiam perutiles sunt ad notiones, ad cognitionem rationalem necessarias (§. 64.), et ad conceptus distinctos formandos (§. 102.): hinc ad cognitionem intellectualem perficiendam (§. 31.). Ergo regulae de terminis in logica demonstrandae sunt (§. 42.).

§. 135. Termini media sint ad cognitionem intellectualem perficiendam (§. 134.): ergo ad copiam conceptuum *extensiue*, et ad illos veros, claros, et certos *intensiue* (§. 31.).

§. 136. Termini media sint ad copiam conceptuum (§. 135.). Ergo *omnis conceptus habeat suum terminum*: hinc diuersi habeant diuersos.

§. 137. TERMINVS VVLGARIS * est terminus conceptum in communi vita occurrentem significans; conceptum disciplinis aut artibus proprium significans TECHNICVS ** est: vel plane non in communi vita occurrens, vel saltim non in eodem significatu. Quum in disciplinis et artibus conceptus sint, qui non sunt in communi

muni vita, *formentur et cognoſcantur termini technici* (§. 136.).

* *ein im gemeinen Leben gebraeuchliches,* ** *ein Kunſtwort.*

§. 138. TERMINI SYNONYMI * (ſynonyma) ſunt termini eiusdem linguae et ſignificatus (§. 128.): vel perfecte ſynonymi i. e. tautologici, vel non. Tautologici nihil proſunt ad copiam conceptuum: et copia terminorum ſequatur copiam conceptuum (§. 136.). Ergo *cauendum eſt a terminis perfecte ſynonymis.* Sed imperfecte ſynonymi vtiles ſunt (§. 136.).

* *gleichvielbedeutende Ausdruecke.*

§. 139. Terminus medium ſit ad conceptum verum (§. 135.). Terminus conceptus falſi, vel deceptoris (§. 88.) INANIS (vox nihili, ſonus ſine mente) * eſt. Ergo *cauendum eſt a terminis inanibus*: inquirendo in conceptuum terminis ſignatorum veritatem ſecundum §. 87 - 95.

§. 140. Conceptus termino inani ſignatus falſus (§. 139.), adeoque vere nullus eſt (§. 88.). Ergo terminus inanis nihil ſignificat, ſiue nullius ſignificatus eſt (§. 128.). Ergo terminus inanis intelligi nequit (§. 133.). Sed eumdem proponens intelligi * (§. eod.), et conceptus termini, qua ſonus eſt, non termini ſignificatus (§. 128.), percipi poteſt.

* *Es kan von Dingen, die keinen Verſtand haben, verſtaendlich geredet werden.*

§. 141. TERMINVS, quem nobis intelligere videmur, ad ſignificatum eius minus attenti, eſt FAMILIARIS *.

* *ein gelaeufiſcher Ausdruck,*

§. 142. Pone ſignificatus terminorum nobis familiarium a nobis combinari (§. 71.): ſingulos ingredientes in nouum conceptum combinando ortum nobis intelligere videmur (§. 141.), hinc etiam totum nouum. At nouus ille poteſt eſſe falſus, ſi ſignificatus terminorum ſingulorum, ſinguli forte poſſibiles, tamen non ſint compoſſibiles (§. 72.). Hinc combinatus ita ortus poteſt eſſe deceptor (§. 88.), et eius terminus inanis (§. 139.).

§. 143. Terminus medium ſit ad conceptum clarum (§. 135.). TERMINVS ſignificatus clari CLARVS *; obſcuri OBSCVRVS ** eſt. Ergo *termini clari ſint.*

* *ein klarer,* ** *ein dunkler Ausdruck.*

§. 144. Terminus abſolute obſcurus eſſet, cuius ſignificatus per ſe non poſſet clare cognoſci (§. 98.), ergo ſignificatus nullius: ergo terminus inanis (§. 140.). Terminus obſcurus eſt ſignificatus obſcuri (§. 143.): ergo habet ſignificatum: ergo non eſt terminus inanis (§. 140.), et non niſi RELATIVE OBSCVRVS ** (§. 98.).

* *ein ſchlechterdings,* ** *ein dieſem oder jenem dunkler Ausdruck.*

§. 145.

§. 145. TERMINVS INTELLIGIBILIS * est, cuius significatus facile appercipi potest (§. 133.); non intelligibilis est ININTELLIGIBILIS **: vel absolute (§. 140.) vel respectiue (§. 144.). Ergo omnis terminus intelligibilis etiam est clarus; sed non v. v. (§. 143.). Terminis intelligibilibus vsus PERSPICVVS est ***.

* *ein verstaendlicher,* ** *ein unverstaendlicher Ausdruck,* *** *der redet deutlich, verstaendlich, faslich.*

§. 146. *Proponens* vult intelligi. Ergo *sit perspicuus* (§. 145.). Ergo

1) abstineat a terminis obscuris (§. 144.), et vtatur intelligibilibus (§. 145.), hinc notis et vsitatioribus,
2) non deserat temere vsum loquendi, aut receptum terminorum significatum (§. 132.);
3) si deserit, aut nouos terminos condit, illos declaret, aut resoluat (§. 119.).

§. 147. Terminus medium sit ad conceptum certum (§. 135.). Terminus vnius significatus VNIVOCVS *; plurium AEQVIVOCVS seu homonymus **, et quatenus non eumdem semper significatum habet, VAGVS (ambiguus) *** est. Hunc quando obtinet, FIGITVR ****. Ergo *termini figendi sunt.*

* *ein nur Eine Sache bedeutender,* ** *ein zweideutiger oder vielbedeutender,* *** *ein schwankender*

*kender Ausdruck, **** die Bedeutung wird festgesezt.*

§. 148. Plures termino vago conuenientes significatus (§. 147.) saepissime per tropum inter se connectuntur (§. 130.): et omnis tropicus vagus est (§. 129.). Hinc figitur saepissime addendo tropum in eodem contentum aut non contentum (§. 131.). Sed figitur semper, si significatus intentus declaretur aut resoluatur (§. 119.).

§. 149. DISTINGVERE (strictius §. 2.) est diuersitatem terminorum percipere aut proponere. Quod quum ad terminos figendos et declarandos, immo resoluendos vtile sit: *distinguendum est* (§. 148. 146.).

§. 150. Dissensus ex altero non intellecto ortus est LOGOMACHIA *: regulis §. 146-149. propositis obseruatis cauenda. Has non obseruans auctor rixae est.

* *ein Wortstreit.*

SECTIO III.

DE DEFINITIONIBVS.

1) *definitio* §. 151-157. 2) *perfectio* §. 158-181. 3) *diuisio definitionum* §. 182-191.

§. 151.

CONCEPTVS distinctus nec plurium nec pauciorum notarum, quam quae ad completum

pletum sufficiunt (§. 167.), DETERMINATVS *; distinctus non determinatus INDETERMINATVS ** est, vel pauciorum quam ad completum sufficiunt, notarum, MANCVS *** et incompletus (§. 107.), vel plurium, ABVNDANS ****.

* *ein bestimmter*, ** *ein unbestimmter*, *** *ein mangelhafter*, **** *ein zu viel in sich enthaltender oder zu weitlaeuftiger Begrif.*

§. 152. Conceptus determinatus symbolicus, seu terminis significatus est DEFINITIO *. Conceptus, qui definitur, TERMINVS DEFINITVS (definiendus) seu DEFINITVM **, (definiendum); definitio ipsa DEFINIENS est.

* *eine Erklaerung*, ** *der erklaerte Begrif.*

§. 153. Ergo definitionem formaturus conceptum definiti distinctum formet secundum §. 114. hunc completum ac determinatum reddat, et terminis significet (§. 152.).

§. 154. Conceptus indeterminatus terminis significatus est DESCRIPTIO *: hinc etiam conceptus distinctus (§. 151.), sed vel completus, et tunc abundans, vel incompletus et tunc mancus (§. eod.). Admodum abundans est DEFINITIO EXEGETICA: quae tamen non est definitio (§. 152.).

* *eine Beschreibung.*

§. 155. DEFINITIO CAVSSALIS * est, quae quatuor vel omnino quinque caussarum genera in definiendo repraesentat,

tat, vt poteſt. Quae, quum ſit exegetica, et deſcriptio, non eſt definitio (§. 154.).

* *eine Erklaerung durch die 4. oder 5. Vrſachen.*

§. 156. Definitio eſt conceptuum definiti diſtinctorum et completorum breuiſſimus. Nam longiores abundant (§. 151.), nec definitiones ſunt (§. 154.).

§. 157. Ad quae conceptus diſtinctus, et reſolutio conceptus (§. 103. 106. 111. 122), ad illa definitio (§. 153.), ſed, tamquam completus determinatus, et hinc omnium diſtinctorum et completorum breuiſſimus (§. 156.), magis quam alia quaecunque reſolutio vtilis: hinc ad cognitionem intellectualem perficiendam perutilis eſt (§. 122. 31.). Ergo regulae de definitionibus in logica demonſtrandae ſunt (§. 42.).

§. 158. Definitio ſit conceptus diſtinctus (§. 152.): ergo definitum reſoluat (§. 119.). Ergo *illam ingreſſuri conceptus clari ſint* (§. 102. 55.), etiam relatiue tales (§. 98.).

§. 159. *Definitio obſcurum non definit per aeque aut magis obſcurum* (§. 158.).

§. 160. Si nota definitionem ingreſſura definitur, reſoluitur (§. 153. 119.), ergo clareſcit (§. 119.): hinc poteſt ingredi definitionem (§. 158.).

§. 161. Conceptus definitionem ingreſſuri clari ſint (§. 158.), hinc etiam termini (§. 143.): hinc intelligibiles (§. 145. 146.). Ergo *in definitione a terminis obſcuris*

ris (§. 143.) *et vagis* (§. 147.) *abstinendum est*: nisi definitione eorumdem praegressa (§. 160.).

§. 162. *Terminus improprius* vagus est (§. 148.). Ergo *exsulat ex definitione*. Adhaeret etiam significatui improprio semper proprius, non tamen ad conceptum definiti completum necessarius. Hinc definitio, quam ingreditur terminus improprius, abundat, et non est definitio (§. 152.).

§. 163. Si terminus improprius ante definitur, quam definitionem ingrediatur, figitur, (§. 148.), et significatus eius alias improprius iam fit illius adhibendi finis primarius, hinc ipse proprius (§. 129.). Ergo tunc potest ingredi definitionem (§. 161.).

§. 164. Definitio fit conceptus distinctus (§. 152.). Ergo quidquid nihil facit ad conceptum definiti distinctum, non ingreditur definitionem. Iam ipsius definiti repetitio, aut substitutio pro eodem illius synonymi (§. 138.), ad conceptum definiti distinctum formandum nil confert. Ergo *nec definitum, nec eius synonyma ingrediuntur definitionem.*

§. 165. *Definitio non definit idem per idem* (§. 164.).

§. 166. Si definitum ingreditur definitiones notarum suarum, committitur CIRCULUS IN DEFINIENDO *, vel propior vel remotior: qui *cavendus* (§. 164.); sed

ſed tamen non niſi, quatenus definitum definiendum eſt, vitioſus et illicitus eſt (§. eod.).

* *der Cirkel oder die Wiederkehr im Erklaeren.*

§. 167. Definitionem non ingrediuntur definiendi ſynonyma (§. 164.). Quum terminis ſignificanda ſit claris et intelligibilibus (§. 161.), breuiſſime (§. 157.), *nec ingrediantur illam ſynonyma notarum*, niſi claritas notarum relatiua poſtulauerit (§. 158.).

§. 168. Definitio eſt conceptus diſtinctus (§. 152.): ergo notas definiti exhibet (§. 102.): ergo conceptus definitum ingredientes (§. 55.): ergo in illo contentos (§. eod.): ergo non ſub illo contentos, definiti inferiores (§. 56.). Ergo *diuiſio exſulat ex definitione* (§. 192.): ergo etiam gradus definiti.

§. 169. Definitio eſt conceptus diſtinctus (§. 152.): hinc notas definiti exhibet (§. 102.), nec tamen abundat notis (§. 156.). Iam omne definitum habet aliquas cum aliis communes, quae GENVS (latius §. 58.), et aliquas ipſi proprias, quae DIFFERENTIA (§. 59.) ſunt; et tam diſtinctio, et breuitas, quam foecunditas definitionis promouentur, ſi illam ingrediantur vtriusque generis notae pauciſſimae. Ergo *omnis definitio conſtat, vt poteſt, vtiliter genere et differentia**. Sed ſit genus proximum (§. 58.).

* *aus gemeinen und endlich voellig unterſcheidenden Merckmahlen.*

§. 170.

§. 170. Definitio eſt conceptus diſtinctus (§. 152.): hinc reſoluit definitum (§. 119.), ad diſtinguendum, probandum, proponendum etiam (§. 106. 122.). Iam ſi proponat notas alius definiti, quam ſecundum vſum loquendi aut receptum terminorum ſignificatum (§. 132.) termino definito ſignificatur, omnes definitionis fines impediuntur, et logomachiae anſa praebetur (§. 150.). Ergo *definitio ſit vſui loquendi receptoque terminorum ſignificatui conformis.* Si deſeratur: declaretur (§. 146.).

§. 171. Notae entis ſunt vel neceſſariae et immutabiles, quibus ſublatis tolleretur ens; vel contingentes et mutabiles, quae poſſunt adeſſe et abeſſe ſaluo ente. Ad priores eſſentia, eſſentialia, et attributa; ad poſteriores modi et relationes entis pertinent.

§. 172. Definitio ſit conceptus completus (§. 152.): ergo notas exhibeat ad definitum ab omnibus diſtinguendum ſufficientes (§. 107.), ergo notas conſtantes (§. 54.), ergo neceſſarias et immutabiles. Ergo *definitionem ne ingrediantur modi aut relationes, ſed vel eſſentia, vel eſſentialia, vel attributa definiti* (§. 171.). Deſcriptionem ingredi poſſunt modi et relationes (§. 154.).

§. 173. Definitio ſit conceptus completus (§. 152.), ergo notas exhibeat ad definitum ab omnibus diſtinguendum ſufficientes

tes (§. 107.). Iam, si notae definitionis simul sumtae conuenirent etiam aliis, praeter definitum: non sufficerent ad illud ab omnibus distinguendum. Ergo *notae definitionis simul sumtae non conueniant, praeter definitum, aliis.*

§. 174. Si conceptus vnus alteri conuenit, et praeter eum pluribus, vnus est LATIOR *, alter ANGVSTIOR **. Superior est latior; inferior angustior (§. 57.).

* *ein weiterer*, ** *ein engerer Begrif.*

§. 175. *Definitio* non conuenit pluribus praeter definitum (§. 173.): ergo *non est latior definito* (§. 174.).

§. 176. Definitum si conueniret pluribus, quam definitio, non posset in iis distingui per definitionem: hinc definitio ad distinguendum definitum ab omnibus non esset sufficiens: hinc non esset conceptus completus (§. 107.), quod absurdum (§. 152.). Ergo definitum non est latius definitione (§. 174.): ergo *definitio non est angustior definito* (§. eod.).

§. 177. CONCEPTVS sibi mutuo conuenientes, quorum nullus altero latior est, sunt RECIPROCI (sibi inuicem adaequati) *. Ergo *definitum et definitio sunt conceptus reciproci* (§. 175. 176.). Hinc cui conuenit definitum, illi conuenit definitio; cui conuenit definitio, illi conuenit definitum; cui non conuenit definitum, illi non conuenit

nit definitio; cui non conuenit definitio, illi non conuenit definitum.

* *gleich weite, einander erschoepfende, Wechsel-Begriffe.*

§. 178. Definitio sit conceptus determinatus (§. 152.): ergo non abundet notis, sed exhibeat paucissimas ad completum sufficientes (§. 151.). Ergo *definitionem ne ingrediantur superflua.* Sed salua sit definiti distinctio etiam relatiua (§. 152. 157.).

§. 179. Definitionem ne ingrediantur superflua (§. 178.). Ergo *ne ingrediantur illam notae per secum simul positas sufficienter determinandae*, vel notae in aliis definitionis notis iam contentae (§. 53.). Sed iterum salua sit distinctio (§. 178.).

§. 180. Definitio ne sit iusto longior (§. 156. 178.), abundans (§. 151.); ne iusto breuior (§. 173.), incompleta (§. 151.); ne iusto latior (§. 175.), incompleta (§. 107.); ne iusto angustior (§. 176.), abundans (§. 151.) et incompleta (§. 107.).

§. 181. *Conceptus* vel vere vel apparenter *negatiuus*, vbi completus non abundans fuerit, *est definitio* (§. 152.).

§. 182. Definitionem non ingrediuntur nisi vel essentia, vel essentialia, vel attributa definiti (§. 172.). Definitio essentiam definiti repraesentans est REALIS (genetica) *; hanc non repraesentans NOMINALIS ** est.

* *eine Sacherklaerung*, ** *eine Worterklaerung.*

§. 183.

§. 183. Definitio realis essentiam definiti repraesentat (§. 182.), hinc complexum essentialium illius, hinc ea in definito, quae sunt primae reliquorum in illo rationes. Hinc definitio realis ad cognitionem definiti philosophicam perutilis est (§. 26.): et formatur, si essentialia definiti iunctim exhibentur.

§. 184. Non omnes explicationes, nec quidem omnes resolutiones (§. 119.) rationis et modi, quo aliquid fieri potest, seu GENESEOS * alicuius, sunt huius definitiones reales et geneticae (§. 182.). Possunt esse tales nonnullae in definitis contingentibus; sed non sunt plerumque nisi descriptiones geneticae, vel incompletae vel abundantes (§. 154.).

* *der Entstehungsart.*

§. 185. Definitio nominalis non repraesentat essentiam (§. 182.), hinc vel essentialia vel attributa definiti (§. 172.). Illa ESSENTIALIS; haec ACCIDENTALIS dicitur.

§. 186. Ad quae definitio in genere, ad illa etiam nominalis (§. 157.), praesertim ad significatum termini definiendi figendum et resoluendum (§. 148. 119.), immo ad illius definitionem realem formandam, vtilis est (§. 181.).

§. 187. Definitio nominalis significatum termini definiendi resoluit (§. 186.), et vel

vel essentialia vel attributa definiti repraesentat (§. 185.). At plures possunt esse significationes termini definiendi receptae (§. 147.), et inter plura definiti ad conceptum illius completum sufficientia essentialia et attributa electio locum habere potest. Hinc plures eiusdem rei definitiones nominales legitime formari possunt. Hinc et hoc sensu *definitiones nominales sunt arbitrariae*: non autem, ac si sine vllis regulis coeco determinari posset arbitrio vel termini significatus (§. 170.), vel rei definiendae definitio (§. 158 - - 181.).

§. 188. Plures formari possunt legitime eiusdem definiendi definitiones nominales (§. 187.). Quo foecundior, clarior, et in genere ad finem propositum vtilior est definitio nominalis, eo perfectior est. Hinc *prudenti arbitrio inter plures eligendum est.*

§. 189. DEFINITIO VERA est, si est verus definiti conceptus determinatus (§. 152.): hinc si notas definiti exhibet, et regulis logicis §. 158-181, conformis est. Quod si de definitione clare cognoscitur, NOBIS CERTA est; alias incerta (§. 17.).

§. 190. PROBARE * cognitionem est addere aliquid, vt fiat certa. Ad definitionem potest ac debet addi, vt fiat certa (§. 189.): ergo *definitio probanda est*, *qua definitio* (§. 255.), seu quod sit vera definitio, secundum §. 189.

* *beweisen* (§. 33.).

§. 191. Definitiones formaturo conceptus definiti diſtincti formandi ſunt (§. 153.), hinc notae definiti clari ſint, aut clareſcere poſſint (§. 102.): hinc theoria et praxis definiendi logica non omnia praeſtant. Et quum definitiones difficiliores ſint deſcriptionibus (§. 152. 154.), nugae ſi fuerint (§. 122.), ineptiores ſunt.

SECTIO IIII.

DE

DIVISIONIBVS.

1) *definitio* §. 192-198. 2) *perfectio diuiſionis* §. 199-205.

§. 192.

Enumeratio conceptuum in aliquo conceptu contentorum (§. 55.), eſt PARTITIO *; ſub illo contentorum (§. 56.), eſt illius DIVISIO ** (diuiſio logica) *latius*. *Strictius* enumeratio conceptuum *immediate* ſub aliquo contentorum eſt illius DIVISIO. Ergo non niſi notio diuidi poteſt (§. 56. 57.).

* *eine Abtheilung oder Zertheilung*, ** *eine Eintheilung*.

§. 193. Notio, ſub qua contenti conceptus enumerantur, eſt DIVISVM (diuidendum) *; conceptus immediate ſub diuiſo

so contenti sunt MEMBRA DIVIDENTIA **.

* *das Eintheilende,* ** *die Glieder der Eintheilung.*

§. 194. Diuisio membri diuidentis est SVBDIVISIO *, eiusque diuisum SVBDIVISVM, cuius MEMBRA diuidentia SVBDIVIDENTIA sunt. Similis est ratio suppartitionis (§. 192.).

* *eine Untereintheilung.*

§. 195. Diuisio enumerat conceptus sub aliqua notione contentos (§. 192.). Ergo membra diuidentia tam a se inuicem, quam a diuiso differunt (§. 59.). Id, cuius respectu membra diuidentia inter se differunt, est FVNDAMENTVM DIVISIONIS *.

* *der Grund der Eintheilung oder der Eintheilungsgrund.*

§. 196. Diuisiones eiusdem diuisi seu diuidendi, sed ex diuersis fundamentis, sunt CONDIVISIONES *, earumque diuisum seu diuidendum CONDIVISVM, seu CONDIVIDENDVM **, MEMBRA diuidentia CONDIVIDENTIA ***.

* *Nebeneintheilungen,* ** *das verschiedentlich eingetheilte, oder einzutheilende,* *** *Glieder verschiedner Nebeneintheilungen.*

§. 197. DIVISIO et PARTITIO singula membra sua enumerantes sunt COMPLETAE *; quaedam membra tantum enumerantes INCOMPLETAE **. Diuisio

completa nonnumquam DIVISIO SIMPLICITER dicitur.

* *volstaendige*, ** *unvolstaendige*.

§. 198. Diuisio ad combinandum strictius (§. 75.), hinc etiam ad determinandum (§. 84.), ad distinguendum (§. 195.), ad probandum (§. 190.), hinc ad philosophice (§. 26.), et ad ordine cognoscendum (§. 82.), hinc ad cognitionem intellectualem vtilis est (§. 30.). Hinc logica de diuisionibus praecipit (§. 42.).

§. 199. Diuisio completa enumerat singula diuisi membra diuidentia (§. 197.): hinc illud exhaurit seu adaequat. Ergo *diuisio completa non est angustior diuiso* (§. 174.). Hinc cui conuenit diuisum, illi conuenit vnum ex membris complete diuidentibus.

§. 200. Pone, omnia membra diuidentia simul sumta esse conceptus latiores diuiso: diuisum in aliquibus non esset, in quibus tamen esset vnum membrorum diuidentium (§. 174.). Sed impossibile est, vt membrum diuidens in aliquo sit, et non illius diuisum (§. 193. 56. 60.). Ergo *diuisio, etiam completa, non est latior diuiso*. Hinc cui conuenit vnum ex membris diuidentibus, illi conuenit diuisum (§. 61.).

§. 201. *Diuisum et* membra diuidentia simul sumta, seu *diuisio* completa (§. 197.), *sunt conceptus reciproci* (§. 177. 199. 200.). Hinc cui non conuenit diuisum, ei nullum con-

conuenit ex membris diuidentibus, et cui nullum conuenit ex membris complete diuidentibus, illi nec conuenit diuiſum (§. 177.).

§. 202. Quodlibet membrum diuidens diſtinguendum eſt a diuidendo, et reliquis membris diuidentibus (§. 195.). At ſi vnius notae omnes ſint et in altero, non diſtinguuntur inter ſe (§. 54.). Ergo *membra diuidentia* ne notas omnes communes habeant, ſeu *ne coincidant* *.

* *die Glieder der Eintheilung mueſſen nicht einander zukommen, ſie mueſſen einander entgegengeſezt ſeyn.*

§. 203. Membrum ſubdiuidens omnes notas diuidentis habet (§. 194. 60.). Hinc ſi in membris diuidentibus numeratur, cum membro ſuo diuidente ſimul, cum diuidente ſuo membro coincidit (§. 202.). Ergo membrum ſubdiuidens ne numeretur in diuidentibus, ſeu *ſubdiuiſio et diuiſio ne confundantur*. Ob eamdem rationem *cauenda eſt confuſio condiuiſionum*, quarum membra quaedam ſemper coincident (§. 196. 202.).

§. 204. Diuiſio latius ſumta enumerat conceptus ſub aliqua notione contentos (§. 192.). Si enumerat mediate ſub illa contentos, hinc membra ſubdiuidentia (§. 194.), omiſſis diuidentibus (§. 193.), fit SALTVS IN DIVISIONE: ſi diuiſio tamen ſit completa, et claritas aut breuitas poſtulant, lici-

 tus,

tus, alias illicitus (§. 192.). Par ratio est, si membrum subdiuidens numeretur in diuidentibus, suo diuidente omisso (§. 203.).

* *ein Sprung in der Eintheilung.*

§. 205. Si membra partitionis aut diuisionis ita coordinantur, vt subordinatio eorumdem ob oculos ponatur, fit TABVLA (tabella, conspectus tabellaris) *: ad quae partitio ac diuisio vtiles sunt (§. 198.), et praeter ea ad reflectendum, comparandum (§. 16.), et repetendum (§. 85.) perutilis: regulis diuisionis et partitionis logicis, et fini conuenientissime construenda.

* *eine Tabelle oder tabellarische Vorstellung.*

CAPVT

CAPVT II.
THETICA, SEV DE IVDICIIS ET PROPOSITIONIBVS.

SECTIO I.
DE IVDICIIS ET PROPOSITIONIBVS IPSIS.

1) *definitio et partitio* §. 206-212. 2) *diuisio et perfectio* §. 213-258. 3) *analysis propositionum* §. 259-261.

§. 206.

IVDICIVM * est repraesentatio aliquorum conceptuum vt inter se vel conuenientium vel repugnantium: hinc relationis vnius conceptus ad alterum, et quidem immediata (§. 7.). Iudicium symbolicum, seu terminis significatum, est PROPOSITIO (enunciatio, thesis) **.

* *ein Vrtheil,* ** *ein Satz oder Ausspruch.*

§. 207. Conceptus et terminus, cui alius vel conuenire vel repugnare iudicatur vel enunciatur, est SVBIECTVM *; conceptus et terminus, qui subiecto conuenire vel repugnare iudicatur aut enunciatur, est PRAEDICATVM **. Subiectum et

praedicatum iudicii propoſitionisue *partes materiales* et EXTREMA *** dicuntur.

* *der Vorbegrif, oder das erſte Hauptglied,* ** *der Nachbegrif, oder das zweite Hauptglied,* *** *die aeuſern Theile des Vrtheils oder Satzes.*

§. 208. Conceptus et terminus conuenientiae COPVLA *, *pars* iudicii et propoſitionis *formalis* eſt. Conceptus et terminus repugnantiae ſeu abſentiae (§. 61.) alicuius conceptus eſt NEGATIO **: et quem conceptum repugnare ſeu abeſſe per negationem repraeſentamus vel proponimus, eum ADFICERE dicitur NEGATIO ***.

* *der Verbindungsbegrif, oder innere Theil des Vrtheils,* ** *die Verneinung,* *** *zu dem gehoert die Verneinung.*

§. 209. PROPOSITIO, quae eſt pars partis propoſitionis alicuius, INCIDENS * eſt. Propoſitio, quam incidens ingreditur, cum ſuis partibus immediatis PRINCIPALIS **; incidentes cum ſuis partibus MINVS PRINCIPALES *** vocantur.

* *ein eingeſchalteter Satz,* ** *der Haupt-Satz oder Hauptausſpruch,* *** *Neben-oder Bei-oder Zwiſchen-Saetze.*

§. 210. Propoſitio, quae non eſt pars alterius propoſitionis, eſt PVNCTVM; punctum concinne amplificatum PERIODVS, ſeu PROPOSITIO ORATORIA; abſtractis amplificationibus, ſeu partibus minus neceſſariis, LOGICA (ſtrictius) eſt.

§. 211. PROPOSITIO, cuius legitima forma non ſtatim apparet, CRYPTICA * eſt. Huc referenda eſt 1) cuius non omnes conceptus peculiaribus terminis ſignificantur, vel omiſſi ſubiecti, vel praedicati, vel vtriusque, vel copulae. 2) INVERSA **, cuius praedicatum ſubiecto praeponitur.

* *ein verſteckter,* ** *ein verſetzter Satz.*

§. 212. PROPOSITIO ſtatum mentis noſtrae reſpectu alicuius iudicii admodum cryptice enuncians eſt NON LOGICA (non enunciatiua) *. Huc interrogatoriae, optatiuae, admiratiuae, imperatiuae, et aliae eius generis pertinent.

* *ein ſehr verſteckter Satz.*

§. 213. PROPOSITIO praedicatum ſubiecto conuenire enuncians eſt AFFIRMANS (affirmatiua) *; repugnare enuncians eſt NEGANS (negatiua) **.

* *ein beiabender,* ** *ein verneinender Satz.*

§. 214. Omnis propoſitio vel affirmans vel negans eſt (§. 206.). Eiusdem adfirmatio vel negatio eſt PROPOSITIONIS QVALITAS *.

* *die Beſchaffenheit eines Satzes.*

§. 215. In omni negante propoſitione eſt negatio (§. 213. 208.) copulam adficiens (§§. iisd.). Ergo propoſitio, quae habet negationem, ſed copulam non adficientem, non eſt negans, hinc affirmans (§. 214.): et omnis negans mutatur in affir-

 mantem,

mantem, si negatio adficere iubeatur praedicatum.

§. 216. Propositio affirmans, cui inest negatio, dicitur INFINITA *. Nulla ergo infinita negans est (§. 215.).

* *ein versteckt beiabender, nur verneinend scheinender Satz.*

§. 217. PROPOSITIO VERA est conuenientia affirmans, repugnantia negans (§. 206. 13.); conuenientia negans, repugnantia affirmans FALSA est.

§. 218. Ratio, ob quam praedicatum subiecto conuenit aut repugnat, est IVDICII et PROPOSITIONIS HYPOTHESIS *: vel sufficiens vel insufficiens: et a ratione, ob quam conuenire aut repugnare iudicatur, distinguenda, quae est IVDICANTIS HYPOTHESIS **. Iam nihil est sine ratione: et sufficiente. Ergo omnis vera propositio habet hypothesin: et sufficientem.

* *der Grund des Vrtheils oder Satzes,* ** *der Grund des Vrtheilenden.*

§. 219. Hypothesis propositionis sufficiens semper est nota subiecti (§. 218. 54.): vel *necessaria*, si sit subiecti essentia, aut essentiale, aut attributum (§. 171.), hinc etiam si sit illius definitio (§. 172.); vel *non necessaria*, si sit illius aut modus aut relatio (§. 171.). Hypothesis iudicantis vel est INTERNA, si sit simul iudicii et propositionis hypothesis, prae-

praesertim necessaria, vel **EXTERNA**, si sit aut sensatio aut testimonium (§. 10.).

§. 220. Propositionis subiectum est conceptus (§. 207.), hinc vel idea vel notio (§. 51.). **PROPOSITIO**, cuius subiectum est idea, **SINGVLARIS** *; cuius subiectum est notio, **COMMVNIS** ** vocatur.

* *ein einzler,* ** *ein gemeiner Satz.*

§. 221. Propositio communis, cuius praedicatum de singulis sub subiecto contentis affirmatur vel negatur, **VNIVERSALIS** * est: affirmans A, negans E. Cuius praedicatum de aliquibus sub subiecto contentis adfirmatur vel negatur, **PARTICVLARIS** est: affirmans I, negans O.

* *ein algemeiner,* ** *ein besondrer Satz.*

§. 222. Adfectio propositionis ex numero eorum, de quibus affirmat, vel negat, cognoscenda, est eius **QVANTITAS** *.

* *die Ausdehnung oder Weite des Satzes.*

§. 223. Terminus quantitatem propositionis peculiariter indicans, est **SIGNVM QVANTITATIS**. Ergo vel est signum singularitatis (§. 220.), vel vniuersalitatis, vel particularitatis (§. 221.).

* *das Zeichen der Weite des Satzes.*

§. 224. **PROPOSITIO** signum quantitatis habens est **DEFINITA** *; non habens **INDEFINITA** **: per vsum loquendi aequipollens vniuersali.

* *ein Satz von bezeichneter,* ** *von unbezeichneter Weite.*

§. 225.

§. 225. Si hypothesis propositionis communis sufficiens sit nota subiecti necessaria (§. 219.), est in subiecti notione necessario (§. 220.), hinc in singulis sub illo contentis (§. 57.): hinc, quia posita ratione sufficiente ponitur rationatum, praedicatum affirmantis conuenit, negantis repugnat singulis sub subiecto contentis (§. 218.). Ergo, si hypothesis sufficiens sit subiecti essentia, essentiale, attributum, vel definitio, praedicatum affirmantis conuenit, negantis repugnat singulis sub subiecto contentis (§. 219.).

§. 226. Si hypothesis propositionis communis sufficiens sit nota subiecti non necessaria (§. 219.), est in subiecti notione contingenter (§. 220.), hinc etiam in singulis sub illo contentis (§. 57.): hinc praedicatum potest conuenire aliquibus et repugnare aliquibus sub subiecto contentis. Ergo, si hypothesis sufficiens sit subiecti modus aut relatio, praedicatum potest conuenire aliquibus, et repugnare aliquibus sub subiecto contentis (§. 219.).

§. 227. Hypothesis PROPOSITIONIS sufficiens non necessaria in subiecto est eiusdem DETERMINATIO *. Ergo modi et relationes, si fiant hypotheses sufficientes propositionum, fiunt determinationes subiecti (§. 219.).

* *die Bestimmung oder Einschraenkung eines Satzes.*

§. 228.

§. 228. Si cum subiecto determinatio eius non combinatur, PROPOSITIO est INDETERMINATA *; si combinatur, propositio fit DETERMINATA **. Tunc in singulis sub hoc conceptu combinato contentis est hypothesis sufficiens (§. 227.): hinc, quia posita ratione sufficiente ponitur rationatum, praedicatum propositionis affirmantis singulis conuenit, negantis singulis sub subiecto contentis repugnat (§. 225.).

* *ein unbestimmter*, ** *ein bestimmter Satz.*

§. 229. Propositio vniuersaliter affirmans, quae singulis sub subiecto contentis conueniunt; vniuersaliter negans, quae singulis sub subiecto contentis repugnant, vera est (§. 221. 217.). Ergo *propositio vniuersalis, A et E, cuius hypothesis sufficiens est subiecti vel essentia, vel essentiale, vel attributum, vel definitio* (§. 225.), *vel determinatio cum subiecto combinata* (§. 228.), *vera est.*

§. 230. Propositio particulariter affirmans, quae conueniunt aliquibus, negans, quae repugnant aliquibus sub subiecto contentis, vera est (§. 221. 217.). Quum, quae singulis sub subiecto contentis conueniunt aut repugnant, etiam aliquibus sub illo contentis conueniant aut repugnent, *propositio particularis, I. et O. eorumdem cum vera vniuersali extremorum, eiusdemque qualitatis, vera est.* Deinde vero, *si hypothesis propositionis sufficiens sit subiecti modus aut relatio, seu*

de-

determinatio cum ſubiecto non combinata, pluribus ſub ſubiecto contentis communis, vera eſt (§. 229.).

§. 231. PROPOSITIO pluribus principalibus conſtans (§. 209.) COMPOSITA*; non compoſita SIMPLEX** eſt. Adfectio propoſitionis, quae vel ſimplex vel compoſita eſt, vocatur eius QVAEITAS.

* *ein zuſammengeſetzter*, ** *ein einfacher Satz.*

§. 232. Propoſitio compoſita pluribus principalibus conſtat (§. 231.): hinc in plures poteſt reſolui, et in plures principales reſolubilis compoſita eſt. Hinc 1) quae plura habet extrema, qualis *copulatiua, aduerſatiua, diſcreta* et *illatiua*, 2) cuius extrema ſunt propoſitiones, qualis *cauſſalis, relatiua, occupatiua, concomitatiua eſt, explicite* compoſita eſt.

§. 233. PROPOSITIO, cui hypotheſis additur particula conditionali notata, eſt HYPOTHETICA (conditionalis, conditionata)*; propoſitio non hypothetica CATEGORICA** eſt. Quae quum, ſi vera ſit, tamen habeat hypotheſin (§. 218), omnis categorica in hypotheticam, et hypothetica in categoricam mutari poteſt.

* *ein bedingter*, ** *ein unbedingter Satz.*

§. 234. Propoſitionis hypotheticae hypotheſis PRIVS et ANTECEDENS (protaſis); theſis ipſa POSTERIVS et CONSEQVENS (apodoſis) dicitur. Iam omnis hy-

hypothetica in plures principales resolubilis, hinc composita est (§. 232.): et quidem extremorum propositionum (§. eod.).

§. 235. In propositione hypothetica iudicatur prius esse hypothesin posterioris (§. 233. 234.). Ergo propositio hypothetica vera est, si prius est ratio sufficiens posterioris (§. 218. 217.): nec requiritur amplius aliquid ad veritatem hypotheticae.

§. 236. Quae vera iudicamus, PONIMVS *; quae falsa, TOLLIMVS **.

* *das setzen*, ** *das heben wir auf.*

§. 237. Si posito vno necessario ponendum est alterum, NECESSITAS CONSEQVENTIAE * inter vnum et alterum adest. Iam posita ratione sufficiente necessario ponendum est rationatum. Hinc *propositio hypothetica vera est, si necessitas consequentiae inter prius et posterius adest* (§. 235.); nec requiritur amplius aliquid ad veritatem hypotheticae praeter necessitatem consequentiae (§. eod.).

* *die Nothwendigkeit oder Richtigkeit der Folge.*

§. 238. PROPOSITIO ex pluribus iudiciis vnum ponendum esse, reliqua tollenda affirmans, neque tamen determinans, quid ponendum, quae tollenda, est DISIVNCTIVA *; eiusque partes principales MEMBRA DISIVNCTA seu DISIVNCTIONIS ** sunt. Omnis disiunctiua com-

composita est (§. 232.): et quidem plurium extremorum (§. eod.).

* *ein Trennungssatz,* ** *Trennungsglieder.*

§. 239. Propositio disiunctiua affirmat, vnum ex membris disiunctionis esse ponendum (§. 238.). Quae vera propositio affirmat, debent conuenire (§. 217.). Ergo *verae propositionis disiunctiuae membrum vnum ponendum est.* Cuius nullum ponendum est, ea falsa est.

§. 240. In vera disiunctiua vnum disiunctionis membrum ponendum est (§.239.). Iam si quoddam disiunctionis membrum omittatur, potest illud esse ponendum. Ergo *in vera disiunctiua nullum possibile disiunctionis membrum omittitur.* Vel vnum omittens falsa est.

§. 241. Disiunctiua affirmat omnia membra disiunctionis, praeter vnum, esse tollenda (§. 238.). Ergo *verae disiunctiuae plura membra, quam vnum, non possunt simul poni.* Disiunctiua plurium disiunctionis membrorum simul ponendorum falsa est.

§. 242. Propositio, quae iam determinat, quodnam ex membris quasi disiunctis ponendum, quae tollenda sint, non est vere disiunctiua (§. 238.).

§. 243. MODI (formales) IN PROPOSITIONE sunt conceptus vel termini significantes necessitatem vel contingentiam conuenientiae aut repugnantiae (§. 219.). PRO-

POSI-

POSITIO, quae modum habet expressum, est MODALIS (impura, modificata); non modalis est PVRA.

§. 244. PROPOSITIO ex affirmante et negante cryptice (§. 211.) composita EXPONIBILIS * dicitur, in easque resoluta EXPONITVR. Tales *exclusiua*, *exceptiua*, *restrictiua*, *declaratiua*, *comparatiua* et *reduplicatiuae* quaedam sunt.

* *ein zu entwickelnder Satz.*

§. 245. Et modalis (§. 243.), et exponibilis (§. 244.) in plures propositiones principales resolubiles, hinc compositae sunt (§. 232.); sed *implicite* (§. eod.).

§. 246. PROPOSITIO per sensationem, hinc etiam per experientiam (§. 101.) cognita INTVITIVA *; per ratiocinium, seu ex aliis DISCVRSIVA **; per testimonium HISTORICA *** est (§. 10.).

* *ein Erfahrungs-Satz*, ** *ein Vernunft-Satz*, *** *ein historischer Satz.*

§. 247. Sentiendum, ratiocinandum, et legendum ac audiendum est ad copiam iudiciorum ac propositionum (§. 246.). Ergo itur ad copiam propositionum, sicut ad copiam conceptuum (§. 80. 81.).

§. 248. Propositio nobis certa est, cuius veritas a nobis clare sine oppositi formidine cognoscitur (§. 17.): vel physice, vel logice, vel historice (§. 18): et vel mathematice vel moraliter (§. 19.). Quidquid

additur, vt fiat certa, est DEMONSTRATIO * (materialiter sumta §. 33. et *latius* §. 517. 519. 522.).

* *der Erweis oder das, was erweisen sol.*

§. 249. PROPOSITIO, quae nobis mathematice certa fit intellectis tantum terminis, est INDEMONSTRABILIS *; de qua vt mathematice certi reddamur, adhuc plura requiruntur, est DEMONSTRATIVA **.

* *ein keinen* ** *ein einen Erweis brauchender Satz.*

§. 250. PROPOSITIO PRACTICA dicitur, quae aliquid vel faciendum vel omittendum esse enunciat; non practica est THEORETICA. Propositio indemonstrabilis theoretica est AXIOMA *; practica POSTVLATVM **.

* *ein Grundsatz,* ** *ein Heischesatz.*

§. 251. PROPOSITIO IDENTICA * est affirmans, cuius praedicatum et subiectum notabiliter eundem significatum habent.

* *ein einerley aussagender Satz.*

§. 252. PROPOSITIO identica eorumdem etiam extremorum est TAVTOLOGICA. Non tautologica vel nihil habet in subiecto, quod non in praedicato etiam contineatur, et est IDENTICA EX TOTO *; vel quaedam tantum habet in sub-

ſubiecto contentorum in praedicato, et eſt IDENTICA EX PARTE**.

* *ein ganz* ** *ein zum Theil einerley ausſagender Satz.*

§. 253. Quum, quidquid eſt, illud eſt; propoſitionum identicarum, intellectis tantum terminis, clare ſine oppoſiti formidine cognoſcitur conuenientia praedicati cum ſubiecto, hinc veritas (§. 217.): et quidem per impoſſibilitatem oppoſiti abſolutam. Ergo fiunt mathematice certae intellectis modo terminis (§. 19.), ergo *indemonſtrabiles ſunt* (§. 249.).

§. 254. Propoſitio de definito aut ſingulas aut aliquas definitionis notas affirmans, notabiliter eumdem ſignificatum in vtroque extremo habet (§. 128.): hinc eſt identica (§. 251.), indemonſtrabilis (§. 253.), eademque theoretica (§. 250.), axioma (§. eod.).

§. 255. Propoſitio affirmans, definitum et definitionem pro extremis habens, eſt DEFINITIO APPLICANS *, ſicut illa, quae extremum fit, APPLICATA ** dicitur. *Definitio applicans eſt axioma* (§. 254.).

* *eine Erklaerung, die ein Satz,* ** *die ein Haupt-Begrif wird.*

§. 256. Propoſitio a producturo definitum facienda, quae in definitione continentur, affirmans, eſt identica (§. 254).

indemonſtrabilis (§. 253.), eademque practica (§. 250.), hinc *poſtulatum* (§. eod.).

§. 257. Propoſitio longioris demonſtrationis theoretica eſt THEOREMA *; practica PROBLEMA **; *latius*, ſi in forma regulae enunciatur, *ſtrictius* (§. 496.) breuioris demonſtrans CONSECTARIVM ***, non demonſtrans COROLLARIVM ****.

* *ein Lehrſatz*, ** *eine Aufgabe*, *** *ein Zuſatz*, **** *eine Zugabe*.

§. 258. Propoſitio in aliis veritatum ſeriebus, quam in qua veritatum ſerie nunc verſamur, demonſtranda, LEMMA *; propoſitio ad ſeriem demonſtratarum et demonſtrationis non neceſſaria, ſed tamen ad eamdem praeſertim illuſtrandam (§. 119.) vtilia exhibens SCHOLION ** eſt.

* *ein Lehnſatz*, ** *eine Anmerkung*.

§. 259. ANALYSIS PROPOSITIONIS * eſt actus, quo repraeſentatio propoſitionis diſtincta redditur (§. 119.): hinc quo varia in eadem contenta clareſcunt (§. 14.): vel formaliter vel materialiter in eadem contenta. Illa LOGICA; haec EXEGETICA eſt.

* *die Zergliederung eines Satzes*.

§. 260. Quum quaedam in omni propoſitione contineantur varia formaliter (§. 206-231.), *omnis propoſitionis datur analyſis logica* (§. 259.): et omnis propoſitio eſt abſolute

lute saltim resolubilis, licet non semper sit relatiue (§. 121.).

§. 261. CONCIPERE PROPOSITIONEM * est eamdem distincte percipere, seu intelligere (§. 16.). Ad quod quum analysis propositionis logica vtilis sit (§. 259.), eadem ad conceptionem propositionis vtilis est.

* *einen Satz verstehn, begreifen.*

SECTIO II.

DE QVALITATIBVS PROPOSITIONVM RELATIVIS.

1) *definitio* §. 262. 2) *species* §. 263-292. *quae sunt* a) *aequipollentia* §. 263-265. b) *subalternatio* 266. 267. c) *oppositio* 268-277. d) *conuersio* 278-287. e) *contrapositio* 288-292.

§. 262.

QVALITATES PROPOSITIONVM RELATIVAE * sunt praedicata propositionibus in relatione ad se inuicem spectatis conuenientia. Ex quibus quum multa vere et cum certitudine cognosci queant intellectualiter, logica de iisdem praecipit (§. 42.).

* *die Verhaeltnis-Eigenschaften der Saetze.*

§. 263. CONCEPTVS combinando extrema PROPOSITIONIS ortus illi RESPONDERE * dicitur.

* *ein aus des Satzes Inhalt erwachsener Begrif.*

§. 264. PROPOSITIONES eiusdem qualitatis, quibus complete notabiliter idem respondet conceptus, sunt AEQVIPOLLENTES *.

* *gleichgeltende Saetze.*

§. 265. Aequipollentium propositionum vni si respondeat conceptus possibilis, respondet etiam alteri (§. 264.). Tunc si affirmat vna, vera est (§. 217. 88.); sed est et altera (§. 264.); si negat vna, falsa est, sed est et altera (§. 217. 88. 264.). Si conceptus respondens propositionibus aequipollentibus sit impossibilis, vna affirmans falsa est (§. 217. 88.), sed est et altera (§. 264.): vna negans vera est (§. 217. 88.), sed est et altera (§. 264.). Hinc *aequipollentium propositionum vera vna, vera etiam est altera; falsa vna, falsa etiam est altera.*

§. 266. PROPOSITIONES A et I, E et O, eorumdem extremorum sunt SVBALTERNAE *, earumque vniuersales sunt SVBALTERNANTES, particulares SVBALTERNATAE.

* *unter einander geordnete Saetze.*

§. 267. Falsa subalternata, falsa est subalternans (§. 266. 230.). Ergo *vera subalter-*

alternante, vera est subalternata. Sed non falsa subalternante necessario etiam falsa est subalternata (§. 226. 227. coll. §. 221.). Ergo *vera subalternata, non necessario etiam vera est subalternans.*

§. 268. Propositiones accurate idem negantes et affirmantes sunt CONTRADICTORIAE *. Hinc singulares eorumdem extremorum (§. 220.), et propositiones A et O, E et I (§. 221.), seu communes diuersae qualitatis et quantitatis (§. 214. 222.) eorumdem extremorum, sunt contradictoriae.

* *einander widersprechende Saetze.*

§. 269. Idem eidem aut conuenit aut repugnat. Si conuenit: contradictariarum adfirmans vera; negans falsa est (§. 268. 217.). Si repugnat: negans vera, adfirmans falsa est. *Contradictoriarum ergo vna semper vera, altera semper falsa est.*

§. 270. Contradictoriae nec ambae possunt simul esse verae, nec falsae (§. 269.). *Vera* ergo *contradictoriarum vna, falsa est altera; falsa vna, vera est altera.*

§. 271. Propositiones A et E. eorumdem extremorum sunt CONTRARIAE *.

* *ganz wider einander laufende Saetze.*

§. 272. Contrariae non possunt esse simul verae. Vera enim A. si fuerit, est etiam vera I. eorumdem extremorum (§. 230.),

230.), ergo falſa E (§. 270. 269.). Vera E ſi fuerit, vera eſt etiam O. (§. 230.); ergo falſa A (§. 268. 269.). Hinc *vera contrariarum vna ſi fuerit, falſa eſt altera.*

§. 273. SVBCONTRARIAE PROPOSITIONES * ſunt I et O eorumdem extremorum.

* *etwas wider einander laufende Saetze,*

§. 274. Falſa propoſitione I, vera eſt E eorumdem extremorum; falſa O, vera eſt A (§. 268-270.). Iam A et E non poſſunt eſſe ambae verae (§. 272.): ergo nec ſubcontrariae ambae falſae. Ergo *falſa ſubcontrariarum vna, vera eſt altera.*

§. 275. Propoſitio I de aliquibus ſub ſubiecto contentis affirmat, quod propoſitio O eorumdem extremorum de aliquibus ſub eodem contentis negat (§. 221.). Iam poteſt idem praedicatum aliquibus ſub ſubiecto contentis conuenire, et aliquibus repugnare. Ergo *ſubcontrariae*, licet non ambae falſae eſſe poſſint (§. 274.), *ambae* tamen *verae eſſe poſſunt* (§. 217.).

§. 276. Propoſitiones ſubcontrariae poſſunt eſſe ambae verae (§. 275.). Iam vera O, falſa eſt A eorumdem extremorum; vera I, falſa eſt E. (§. 268-270.). Ergo *contrariae*, licet non poſſint eſſe ambae verae (§. 272.), *poſſunt* tamen *eſſe ambae falſae.*

§. 277.

Digitized by Google

§. 277. Contradictoriae ſunt A et O, E et I eorumdem extremorum (§. 268.); contrariae autem A et E (§. 271.), et ſubcontrariae I et O eorumdem extremorum (§. 273.). Ergo contradictoriarum vna mere et ſimpliciter negat, quod altera adfirmat, hinc tollit, quod altera ponit (§. 236.); contrariarum vero ac ſubcontrariarum vna non mere tollit, quod altera ponit, ſed praeter ea aliquid ponit.

§. 278. Si propoſitionis alicuius ſubiectum fiat praedicatum, praedicatum autem ſubiectum nouae, ſeruata eadem qualitate, PROPOSITIO CONVERTITVR *: quae tunc CONVERSA **, ſicut noua per conuerſionem orta CONVERTENS *** dicitur.

* *der Satz wird umgekehrt,* ** *der umgekehrte,* *** *der umkehrende Satz.*

§. 279. Conuerſa et conuertens aut eamdem etiam quantitatem habent, aut diuerſam (§. 278. 222.). Prior CONVERSIO SIMPLEX (reciprocatio) * vocatur; poſterior CONVERSIO PER ACCIDENS **.

* *die gleiche,* ** *die ungleiche Vmkehrung.*

§. 280. *Verae propoſitionis, cuius extrema ſunt termini reciproci, ſimpliciter conuertens vera eſt.* Nam nullus terminorum extremorum in his altero eſt latior (§. 177.): hinc ſingulis, quibus praedicatum conuerſae conuenit, conuenit etiam ſubiectum

conuerſae et quibus ſubiectum conuertentis conuenit, conuenit etiam praedicatum conuertentis (§. 278. 174.). Iam illud conuenit ſingulis ſub ſe ipſo contentis (§. 56. 55.). Ergo praedicatum conuertentis conuenit ſingulis ſub eius ſubiecto contentis: hinc ſimpliciter conuertens vera eſt (§. 217. 229.).

§. 281. Definitio applicans eſt propoſitio vera (§. 255 254.), cuius extrema ſunt conceptus reciproci (§. 177.). Ergo *definitionis applicantis ſimpliciter conuertens vera eſt* (§. 280.).

§. 282. Propoſitio ſingularis, enuncians de ſubiecto ſoli conuenientia ſingularis propria eſt (§. 220). Propriae praedicatum non eſt latius ſubiecto (§. 174.), hinc extrema illius ſunt conceptus reciproci (§. 177.). Ergo *propoſitionis ſingularis propriae verae ſimpliciter conuertens etiam vera eſt* (§. 280.).

§. 283. *Verae propoſitionis I ſimpliciter conuertens vera eſt.* Nam in quibusdam ſub conuerſae ſubiecto contentis eſt praedicatum conuerſae (§. 221. 61.): hinc ſub eodem continentur (§. 56.): hinc iisdem praedicatum conuertentis conuenit (§. 61.): ergo conuertens vera eſt (§. 279. 217.).

§. 284. Propoſitio O, ſi negatione afficere iubeatur praedicatum, fit I (§. 221. 215.).

215.). Ergo ſi vera ſit O, vera eſt ſimpliciter conuertens propoſitionis I illi aequipollentis (§. 265. 283.).

§. 285. Vera propoſitione A, vera eſt eius ſubalternata (§. 267.), et huius ſimpliciter conuertens (§. 283.): ergo *propoſitionis A conuertens per accidens* (§. 279.).

§. 286. *Verae propoſitionis E vera eſt ſimpliciter conuertens.* Falſa enim ſi fuerit, vera eius eſt contradictoria I (§. 270. 268.): hinc et eius ſimpliciter conuertens (§. 283.) contradictoria conuerſae (§. 268.): quod abſurdum (§. 270.).

§. 287. Vera propoſitione E, vera eſt eius ſimpliciter conuertens (§. 286.): ergo et huius ſubalternata (§. 267.), ergo *conuertendae E conuertens per accidens* (§. 279.).

§. 288. PROPOSITIO A CONTRAPONITVR *, ſi praedicatum eius mutetur in conceptum negatiuum, hic fiat ſubiectum nouae propoſitionis, de quo ſubiectum prioris A vniuerſaliter in hac negetur. Propoſitio A, ex qua noua per contrapoſitionem oritur, eſt CONTRAPOSITA **, inde orta CONTRAPONENS ***.

* *wird verneinend umgekehrt,* ** *der verneinend umgewandte,* *** *der umwendende Satz.*

§. 289. Vera contrapoſita A, falſa eſt eius contradictoria (§. 270.): ergo et huius ſimpliciter conuertens (§. 284.): cuius ideo

ideo contradictoria vera est (§. 270.). At haec est contraponens contrapositae A (§. 288.). Ergo *verae contrapositae vera est contraponens.*

§. 290. Vera contraponente, falsa est eius contradictoria (§. 270.): ergo et falsa huius simpliciter conuertens (§. 283.): cuius ideo contradictoria vera est (§. 270.). At haec est contraposita prioris contraponentis (§. 288.). Ergo *verae contraponentis vera etiam est contraposita* (§. 217.).

§. 291. Propositionis singularis subiectum est idea (§. 220.): hinc conceptus indiuidui (§. 51.): hinc conceptus non alios sub se continens (§. 56.). Hinc quidquid in propositione singulari praedicatur de subiecto, de eodem in omni sua extensione praedicatur (§. 57.). Hinc propositio singularis obtinet qualitates vniuersalis (§. 221.): et, si sit affirmans, propositionis A (ibid.) Hinc *verae propositionis singularis affirmantis contrapositae vera est contraponens* (§. 289. 288.): et *verae contraponentis vera contraposita* (§. 290.).

§. 292. Propositio singularis negans mutatur in affirmantem aequipollentem, si negatio afficere iubeatur praedicatum (§. 215.). Ergo *omnis* singularis verae contrapositae vera est contraponens (§. 291. 265.): et verae contraponentis vera contraposita (§. 290.)

CAPVT

CAPVT III.

DIANOËTICA, SEV DE SYLLOGISMIS.

I. de singulis §. 293-412. 1) *veris* 293-403. *a*) *in genere* §. 293-306. *b*) *in specie* §. 307-403. *α*) *de formalibus in genere* §. 307-309. *ac* (1) *de ordinariis* §. 310-363. (2) *de compositis* §. 364-387. *in specie*. *β*) *de non formalibus* §. 388-403. 2) *falsis* §. 404-412. *II. de concatenatis* §. 413-435. *III. Appendix* §. 436. 437. 438.

§. 293.

RATIOCINIVM *latius* sumtum * est repraesentatio duorum conceptuum, vt inter se vel conuenientium vel repugnantium, mediante tertio (§. 7.): hinc perceptio rationis (§. 8.) vel latius (§. eod.) vel strictius dictae (§. 29.). *Strictius* sumtum (discursus, argumentum) ** est perceptio rationis strictius dictae. Hinc in omni ratiocinio sunt tres conceptus, et repraesentatur iudicium (§. 206.) ex aliquo veritatis eiusdem principio (§. 9.). Sed strictius sumtum est repraesentatio iudicii distincta ex aliquo principio veritatis eiusdem (§. 29.).

* *ein Schluss*. ** *ein Vernunftschluss*.

§. 294.

§. 294. In omni ratiocinio repraesentatur iudicium ex aliquo veritatis eiusdem principio: et in ſtrictius ſumto diſtincte (§. 293.). At hoc principium eſt relatio duorum conceptuum ad aliquem tertium (§. eod.). Hinc in omni ratiocinio eſt, praeter repraeſentationem relationis duorum conceptuum ad ſe inuicem, repraeſentatio relationis vtriusque ad eumdem tertium. Hinc *in omni ratiocinio repraeſentatur iudicium ex duobus aliis iudiciis* (§. 206.), *tamquam veritatis eiusdem principiis*; et in ſtrictius ſumto diſtincte (§. 293.). Et hinc in omni ratiocinio ſunt tria iudicia, quorum extrema (§. 207) fiunt tres conceptus in ratiocinio ad ſe inuicem relati (§. 293.).

§. 295. In omni ratiocinio repraeſentatur iudicium ex duobus aliis iudiciis, tamquam principiis veritatis eiusdem (§. 294.). Hinc qui rationatur 1) iudicium quoddam repraeſentat ex principiis veritatis eiusdem: quod eſt CONCLVSIO * 2) duo alia iudicia, veritatis ipſius principia: quae ſunt PRAEMISSAE * (data, ſumtiones) ** 3) nexum harum cum illa: qui CONSEQVENTIA *** dicitur.

* *das Schlusſurtheil*, ** *die Vorderurtheile*, *** *die Folge*.

§. 296. In omni ratiocinio repraeſentatur iudicium ex duobus aliis (§. 294.): quod eſt conclusio (§. 295.). Qualis, et quanta

quanta conclusio est (§. 214. 222.), late ac tantum est ratiocinium. Hinc vel AFFIRMANS vel NEGANS (§. 213.), vel VNIVERSALE vel PARTICVLARE, vel SINGVLARE est (§. 220. 221.) etc.

§. 297. In omni ratiocinio repraesentatur iudicium ex duobus aliis, tamquam veritatis eiusdem principiis (§. 294.): quae sunt praemissae (§. 295.). At praemissae relationem conceptuum in conclusione de se inuicem vel affirmatorum vel negatorum ad eumdem tertium repraesentant (§. 294.). Ergo omne ratiocinium nititur hac propositione: *A et B connexa tertio C. sunt connexa inter se*: adfirmans immediate, negans mediate (§. 296.): dum omne negans in adfirmans aequipollens mutari potest (§. 215.). Ergo haec propositio est FVNDAMENTVM ac PRINCIPIVM OMNIVM RATIOCINIORVM *: quod tamen superius habet, *principium contradictionis.*

* *die Grundregel aller Schluesse.*

§. 298. In omni ratiocinio repraesentatur iudicium ex duobus aliis, tamquam veritatis eiusdem principiis (§. 294.): hinc nexus conclusionis cum praemissis, qui consequentia est (§. 295.). Ratiocinans, dum hunc nexum sibi repraesentat, CONCLVDERE (deriuare, deducere, inferre); conclusio vero, ex quibus praemissis, qua-

que

que ratione poteſt, illata SEQVI (fluere) ** dicitur.

* *ſchlieſſen, herleiten.* ** *folgen, flieſſen.*

§. 299. SYLLOGISMVS * eſt ratiocinium ſtrictius ſumtum ſymbolicum, ſeu terminis ſignificatum. Hinc 1) in omni ſyllogiſmo ſunt tres TERMINI nec plures nec pauciores (§. 293. 127. 128.) **, qui ſunt extrema propoſitionum (§. 294.): et 2) tres propoſitiones (§. 294. 206.), concluſio ***, ac duae praemiſſae **** (§. 295.): quarum illa diſtincte ex his repraeſentatur (§. 293.), tamquam veritatis eiusdem principiis (§. 294.): vnde conſequentia (§. 295.). 3) Omnis ſyllogismus vel affirmans vel negans, et vel vniuerſalis vel particularis vel ſingularis eſt (§. 296.). 4) Omnes ſyllogismi nituntur eodem ſeu communi fundamento (§. 297.), et 5) in omni ſyllogismo concluditur (§. 298.).

* *eine Schlusſrede,* ** *Hauptbegriffe,* *** *der Schluſſ-Satz,* **** *die Vorder-Saetze.*

§. 300. In omni ſyllogismo ſunt tres propoſitiones et conſequentia (§. 299.). VERVS SYLLOGISMVS eſt, qui 1) veras praemiſſas 2) veram legitimam ſeu valentem conſequentiam, et 3) veram concluſionem habet. Cui ergo vel vnum vel plura ex his deſunt requiſitis, eſt SYLLOGISMVS FALSVS. At quum verorum principiorum neceſſario vera ſint principiata,

piata, *ad veritatem syllogismi nihil amplius requiritur, quam veritas praemissarum et consequentiae.*

§. 301. Propositiones SYLLOGISMI sunt eiusdem MATERIA *; consequentia legitima est FORMA **.

* *der Inhalt,* ** *die Art und Weise zu schliessen.*

§. 302. SYLLOGISMVS falsae propositionis, et quidem praemissae (§. 300.), PECCAT IN MATERIA *; non valentis consequentiae PECCAT IN FORMA **. Vel in materia, vel in forma, aut in vtraque peccans, falsus est. Verus nec in materia nec in forma peccat (§. 300. 301.).

* *hat einen Fehler im Inhalte,* ** *in der Art und Weise zu schliessen.*

§. 303. In omni syllogismo sunt tres propositiones, conclusio ac praemissae (§. 299.). Hae dum ita et eo fine coordinantur, vt conclusio distincte ex praemissis, tamquam veritatis eiusdem principiis, cognoscatur, PROBATVR (§. 190.) *. Hinc omnis syllogismus est PROBATIO: sed vel vera vel falsa (§. 300.).

* *es wird bewiesen.*

§. 304. SYLLOGISMVS CLARVS est, qui 1) claras praemissas 2) claram consequentiam, et 3) claram conclusionem habet (§. 299.). Ergo cui vel vnum vel plura ex his requisitis desunt, OBSCVRVS est (§. 14.). Pariter CERTVS est, qui certas

praemiſſas, certam conſequentiam, et certam concluſionem habet. Cui vel vnum ex his requiſitis deeſt, INCERTVS eſt (§. 17.). Ergo ad claritatem et certitudinem ſyllogismi claritas et certitudo materiae ſeu MATERIALIS, ac formae ſeu FORMALIS, requiruntur (§. 301.): ſed nihil amplius (§. 300.): hinc etiam ad claritatem et certitudinem probationis per ſyllogismum (§. 303.): et quum claris certisque praemiſſis, et conſequentia clara et certa, ſemper ſit concluſio (§. 300.): *nihil amplius, quam claritas et certitudo praemiſſarum et conſequentiae.*

§. 305. Veritas, claritas et certitudo ſyllogismi nituntur veritate, claritate, et certitudine materiali ac formali (§. 302. 304.). Illa eſt veritas, claritas, et certitudo propoſitionum (§. 301.): hinc ſicut in propoſitionibus in genere obtinenda (§. 217. 248. 259.). At haec eſt veritas, claritas, et certitudo conſequentiae (§. 301.): hinc regulis conſequentiae legitimae, clarae, et certae, obtinenda. *Dantur ergo regulae ſyllogismorum perficiendorum* (§. 31.): quorum complexus eſt SYLLOGISTICA *.

* *die Lehre von den Schlusſreden.*

§. 306. In ſyllogismo diſtincte concluſio ex duabus praemiſſis, tamquam veritatis eiusdem principiis, repraeſentatur (§. 299.), adeoque probatur (§. 303.). Ergo ſyllogismus ad cognitionem diſtinctam ac philo-

philoſophicam, hinc ad intellectualem vtilis eſt (§. 30.). Hinc ſyllogiſtica in logica demonſtranda eſt (§. 305. 42.).

§. 307. In omni ſyllogismo ſunt tres termini, qui fiunt extrema propoſitionum, ac tres propoſitiones ex iisdem ita et eo fine formatae et coordinatae, vt concluſio inferatur ex praemiſſis (§. 299. 298. 303.). SYLLOGISMVS ita expreſſe formatus, (ſeu hanc ſuam formationem complete exprimens) FORMALIS * eſt.

* *eine foermliche Schlusſrede.*

§. 308. In omni ſyllogismo formali ſunt tres termini expreſſi (§. 307.): vnus ſubiectum, alter praedicatum concluſionis, tertius vero praemiſſis communis (§. 293. 294. 295. 299.). Primus TERMINVS MINOR *, ſecundus MAIOR **, tertius MEDIVS *** vocatur.

* *der kleinere,* ** *der groeſſere,* *** *der mittlere Hauptbegrif.*

§. 309. *Medius terminus* nec eſt maior, nec minor, ergo nec ſubiectum nec praedicatum concluſionis (§. 308.): ergo *non ingreditur concluſionem.*

§. 310. In omni ſyllogismo formali ſunt tres propoſitiones expreſſae (§. 307.): concluſio, ac duae praemiſſae (§. 299.): quae habent terminum medium communem (§. 308.). SYLLOGISMVS formalis ex duabus praemiſſis terminum communem

habentibus inferens conclusionem diuersos complexam (§. 309.), ORDINARIVS * est.

* *eine ordentliche oder gewoehnliche Schlussrede.*

§. 311. In syllogismo ordinario sunt duae praemissae ex termino vtrique communi, qui medius est (§. 308.), et terminis conclusionem ingredientibus (§. 294. 307.), qui maior ac minor sunt (§. 308.), formatae (§. 310.). Praemissa terminum maiorem pro extremo habens, PROPOSITIO MAIOR *, minorem pro extremo habens, MINOR ** est. Quum conclusio vero formatur ex terminis praemissarum diuersis (§. 310.), hinc iisdem, qui in praemissis sunt, *in conclusione nec plus nec minus sit, quam in praemissis.*

* *der Obersatz,* ** *der Untersatz.*

§. 312. Syllogismus ordinarius non habet nisi sexies occurrentia extrema: quorum singula bis occurrunt (§. 311. 312.): ergo non nisi tres terminos (§. 299.): qui *simplices et combinati esse possunt* (§. 128.): et *quorum medius in praemissis quadruplici modo occurrere potest* (§. 310.).

§. 313. SYLLOGISMVS ordinarius, cuius medius terminus est subiectum maioris, et praedicatum minoris propositionis (§. 311.), est IN PRIMA FIGVRA.

§. 314.

§. 314. SYLLOGISMVS ordinarius, cuius medius terminus eſt vtriusque praemiſſae praedicatum, eſt IN SECVNDA FIGVRA.

§. 315. SYLLOGISMVS ordinarius, cuius medius terminus eſt vtriusque praemiſſae ſubiectum, eſt IN TERTIA FIGVRA.

§. 316. SYLLOGISMVS ordinarius, cuius medius terminus eſt praedicatum maioris, et ſubiectum minoris propoſitionis, eſt IN QVARTA FIGVRA (galenica).

§. 317. FIGVRAE ſunt genera ſyllogismorum ordinariorum, ex diuerſa medii termini ad diuerſos in praemiſſis relatione oriunda (§. 313-316.).

§. 318. In ſyllogismo ordinario ex duabus praemiſſis, terminum medium communem habentibus, infertur concluſio diuerſos complectens (§. 310.). Hinc *ſyllogismus ordinarius naturali ratiocinii formationi eſt maxime conformis* (§. 294.): vnde ordinarius dictus. At in prima figura eidem adhuc conformior eſt, quam in reliquis (§. 313-316.). Hinc vero ſyllogismus ordinarius quoque ad cognitionem intellectualem eſt maxime vtilis (§. 306.), et *in prima figura vtilior*.

§. 319. *Quidquid vere affirmatur de notione vniuerſaliter, vere etiam affirmatur de contentis ſub eadem.* Singulis enim ſub eadem contentis conuenit (§. 221. 229.). Si

de quibusdam ex iis falſo adfirmaretur, iis repugnaret (§. 217.): adeoque vere de quibusdam ſub eadem notione contentis idem negaretur (§. eod.). Hinc duae contradictoriae eſſent ſimul verae (§. 268.): quod contra §. 270.

§. 320. Propoſitio §. 319. ſic etiam effertur: quidquid vere affirmatur de omni, vere etiam affirmatur de aliquo: et DICTVM DE OMNI * dicitur.

* *der Satz von Allem.*

§. 321. *Quidquid vere negatur de notione vniuerſaliter, vere etiam negatur de contentis ſub eadem.* Singulis enim ſub eadem contentis repugnat (§. 221. 229.). Si de quibusdam ex iis falſo negaretur, iis conueniret (§. 217.): adeoque vere de quibusdam ſub eadem notione contentis affirmaretur (§. eod.). Hinc iterum duae contradictoriae eſſent verae (§. 268.): quod contra §. 270.

§. 322. Propoſitio §. 321. ſic etiam effertur: quidquid vere dicitur de nullo, vere etiam negatur de aliquo: et DICTVM DE NVLLO * dicitur.

* *der Satz von Keinem.*

§. 323. In ſyllogismo ordinario, ſi obſeruamus geneſin concluſionis ex praemiſſis, refertur primum terminus minor ad medium aut medius ad minorem, et deinde medius ad maiorem, aut maior ad medium

(§. 308.

(§. 308. 313-316.); concluditur vero mediante obseruata termini minoris sub termino medio comprehensione, et huius aliqua ad maiorem vniuersali relatione (§. 294.). Hinc in omni syllogismo ordinario concluditur ab vniuersali ad sub eodem contentum particulare. Hinc *omnis syllogismus ordinarius concludit secundum dictum vel de Omni vel de Nullo* (§. 320. 322.): et omnis syllogismus secundum idem concludens ordinarius est.

§. 324. Omnis syllogismus ordinarius concludit secundum dictum vel de Omni vel de Nullo (§. 323.). Hinc vt habeat legitimam et valentem consequentiam (§. 295. 300.), necesse est, vt concludat huic dicto conformiter. Hinc hoc dictum exhibet regulas veritatis, claritatis, et certitudinis syllogismi ordinarii formalis (§. 305.). Hinc *dictum de O. et N. est* FVNDAMENTVM OMNIVM SYLLOGISMORVM ORDINARIORVM * (§. 297.): et concluditur eidem conformiter, si concluditur secundum §. 323.

* *die Grundregel der ordentlichen Schlussreden.*

§. 325. Syllogismus ordinarius affirmans (§. 296.), consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.), sequitur dictum de omni (§. 320.). Hinc habet vnam praemissam A (§. 221.). Altera subie-

ctum suum sub notione contineri enunciat (§. 323. 319.): hinc etiam affirmat (§. 213. 56.).

§. 326. Syllogismus ordinarius negans (§. 296.), consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.), sequitur dictum de nullo (§. 322.). Hinc habet vnam praemissam vniuersalem, vnam negantem (§. 321.), alterutram vero subiectum suum sub notione contineri enunciantem (§. 323. 321.): hinc affirmantem (§. 213. 56.).

§. 327. Omnis syllogismus ordinarius, vel affirmans vel negans est (§. 296. 214.). Hinc omnis, consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.), habeat praemissam vniuersalem (§. 325. 326.). Ergo *ex puris particularibus nihil sequitur*; per dictum de O. et N.

§. 328. Omnis syllogismus ordinarius, consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.), habeat praemissam affirmantem (§. 325. 326.). Ergo *ex meris negatiuis nihil sequitur*: per dictum de O. et N.

§. 329. Syllogismus praemissae negantis et consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.), non sequitur dictum de omni. Alias vtramque praemissam affirmantem haberet (§. 325. 319.). Ergo sequitur dictum de nullo. Hinc negans est (§. 322. 296.).

§. 330.

§. 330. Syllogismus praemissae particularis habet pro extremo vno (§. 299.) quaedam sub notione contenta (§. 221.), pro extremo secundo praedicatum huius praemissae (§. 310. 312.), pro tertio terminum alterius praemissae diuersum (§. 310.). Hinc, si in conclusione haberet singula sub subiecto particularis praemissae contenta, haberet quatuor terminos (§. 299.): quod esset contra §. 312. et 299. Ergo particulari aliqua praemissa, particularis esto conclusio (§. 221.).

§. 331. Praemissae negantes et particulares dicuntur pars debilior. Ergo *conclusio syllogismi ordinarii semper sequitur* (imitatur) *partem debiliorem*: per dictum de O. et N. (§. 329. 330.).

§. 332. *Syllogismus ordinarius vtriusque praemissae affirmantis*, et consequentiae per dictum de O. et N. determinandae (§. 324.); non sequitur dictum de nullo, quia nullam praemissam negantem habet (§. 321. 322.): ergo dictum de omni (§. 323.). Ergo *affirmans est* (§. 319. 320.).

§. 333. Si medius terminus fuerit conceptus negatiuus, erit in propositione minore primae et secundae figurae negatio (§. 208. 310.); sed praedicatum adficiens (§. 313. 314.), idque necessario, ne sint in syllogismo quatuor termini (§. 312.). Hinc minor est infinita quidem, sed affirmans

 (§. 216.):

(§. 216.): hinc conclusio, si maior etiam affirmans fuerit, affirmans (§. 332.).

§. 334. Si syllogismus ordinarius vtriusque praemissae vniuersalis haberet conclusionem particularem: affirmaretur aut negaretur in conclusione de aliquibus sub notione contentis, quod secundum consequentiam per dictum de O. et N. determinandam de singulis sub notione contentis affirmandum aut negandum esset (§. 319. 321.): et orirentur quatuor termini (§. 312.). Ergo *syllogismus ordinarius vtriusque praemissae vniuersalis* etiam *vniuersalis est* (§. 296.).

§. 335. In prima et secunda figura medius terminus est praedicatum propositionis minoris (§. 313. 314.); ergo minor terminus, eiusdem propositionis extremum (§. 311.), subiectum est (§. 312.). Hinc in syllogismis primae et secundae figurae propositio minor et conclusio idem subiectum habent.

§. 336. In prima et secunda figura, si quaedam sub notione contenta sint subiectum minoris, sunt et conclusionis subiectum quaedam sub notione contenta, et vice versa (§. 335.): ergo particulari conclusione particularis est propositio minor, et v. v. (§ 221.).

§. 337. Minor propositio primae figurae habet subiectum conclusionis (§. 334.): hinc enunciat illud sub medii termini notione contineri (§. 319. 313.). Hinc *minor in pri-*

prima figura semper affirmat (§. 325. 326.). Sed infinita esse potest (§. 333.).

§. 338. In syllogismo primae et secundae figurae, particulari conclusione particularis minor est (§. 336. 296.): ergo maior vniuersalis (§. 327. 311.). In vniuersali syllogismo primae et secundae figurae propositio maior etiam vniuersalis est (§. 330. 334.). Ergo *maior primae et secundae figurae semper sit vniuersalis.*

§. 339. MODI SYLLOGISMORVM ORDINARIORVM sunt species syllogismorum in aliqua figura, ex diuersa quantitate et qualitate praemissarum (§. 214. 222.), oriundae.

§. 340. Si conclusio primae figurae sit A: maior est A (§. 338. 325.), et minor est A (§. 337. 338.). Hinc MODVS bArbArA est modus primae figurae, cuius conclusio est A (§. 339.).

§. 341. Si conclusio primae figurae sit E: maior est E (§. 326. 337. 338.), minor vero A (§. 337. 338.). Hinc MODVS cElArEnt est modus primae figurae, cuius conclusio est E (§. 339.).

§. 342. Si conclusio primae figurae sit I: maior est A (§. 338. 325.), minor vero est I (§. 337. 336.). Hinc MODVS dArII est modus primae figurae, cuius conclusio est I (§. 339.).

§. 343.

§. 343. Si conclusio primae figurae sit O: maior est E (§. 326. 337. 338.), minor vero I (§. 337 336.). Hinc MODVS fErIO est modus primae figurae, cuius conclusio est O (§. 339.).

§. 344. Propositiones singulares, vel cum vniuersalibus, si propriae, seu praedicati cum subiecto reciprocabilis sunt (§. 282.), vel cum particularibus, si sunt praedicati subiecto latioris, censentur in syllogismis. Hinc non plures his modis sunt in prima figura (§. 296. 339.).

§. 345. FIGVRA PERFECTA est, in qua omnis generis propositiones possunt inferri. Ergo *prima figura est perfecta* (§. 340-344.).

§. 346. In syllogismo secundae figurae medius terminus est praedicatum vtriusque praemissae (§. 314.): hinc subiectum maioris in conclusione praedicatur de subiecto minoris (§. 311.). Iam si affirmans esset, nulla adesset consequentia secundum dictum de O. et N. (§. 324.): dum non concluderetur ex vniuersali termini medii ad terminum maiorem relatione (§. 323. 319. 321.). Ergo *in secunda figura non potest inferri nisi negans* per dictum de O. et N. (§. 324.). Ergo etiam vna praemissarum negans sit (§. 332.), seu *in secunda figura ex meris affirmatiuis nihil sequitur.*

§. 347.

§. 347. In ſyllogismo ſecundae figurae maior ſemper eſt vniuerſalis (§. 338.), vna ex praemiſſis negans (§. 346.), altera affirmans (§. 228.); particulari minore particularis concluſio (§. 336.); et concluſio ſemper negans (§. 346.). Hinc modi ſecundae figurae ſunt cEſArE, cAmEſtrEs, fEſtInO, bArOccO (§. 339.).

§. 348. In ſyllogismo tertiae figurae terminus medius eſt ſubiectum vtriusque praemiſſae (§. 315.): hinc terminus minor praedicatum propoſitionis minoris (§. 311.). Iam ſi propoſitio minor negans eſſet, nulla adeſſet conſequentia ſecundum dictum de O. et N. (§. 324.): quia non concluderetur ex comprehenſione termini minoris ſub notione termini medii (§. 323. 319. 321.). Ergo propoſitio *minor in tertia figura ſemper affirmat.*

§. 349. In ſyllogismo tertiae figurae terminus minor eſt praedicatum propoſitionis minoris (§. 315. 311.). Iam ſi concluſio eſſet vniuerſalis, iterum nulla adeſſet conſequentia ſecundum dictum de O. et N. (§. 324.): quia iterum non concluderetur ex comprehenſione termini minoris ſub notione termini medii (§. 323. 319. 321.). Ergo *in tertia figura non poteſt inferri niſi particularis* (§. 221.): per dictum de O. et N.

§. 350. In tertia figura vna ſaltim ex praemiſſis eſt vniuerſalis (§. 327.), minor affir-

affirmans (§. 348.), et conclusio particularis (§. 349.). Hinc MODI TERTIAE FIGURAE sunt dArAptI, fElAptOn, dIſAmIs, dAtIſI, bOcArdO, fErIſOn (§. 339.).

§. 351. In quarta figura medius terminus est praedicatum maioris et subiectum minoris (§. 316.). Si conclusio esset propositio A: nulla adesset consequentia secundum dictum de O. et N. (§. 324.): quia non concluderetur ex comprehensione termini minoris sub notione termini medii (§. 323.). Ergo *in quarta figura non potest inferri vniuersaliter affirmans.*

§. 352. Si conclusio in quarta figura est negans; et maior particularis: non concluditur ex vniuersali termini medii ad terminum maiorem relatione: hinc nulla adesset consequentia secundum dictum de O. et N. (§. 323. 324.). Ergo *si conclusio in quarta figura est negans, maior semper est vniuersalis.*

§. 353. Si propositio minor in quarta figura est affirmans, et conclusio vniuersalis; non concluditur ex comprehensione termini minoris sub notione termini medii: hinc nulla adest consequentia secundum dictum de O. et N. (§. 323. 324.). Ergo *si minor in quarta figura est propositio affirmans, conclusio est particularis.*

§. 354. In quarta figura vna praemissarum saltim est vniuersalis (§. 327.), et affirmans

mans (§. 328.): conclusio numquam vniuersaliter affirmans (§. 351.): conclusione negante, maior vniuersalis (§. 352.): et minore affirmante, conclusio particularis (§. 353.). Hinc MODI QVARTAE FIGVRAE sunt: cAlEmEs, bAmAlIp, dImAtIs, fElApO, frEsIsO. (§. 339.),

§. 355. Figurae secunda (§. 346.), tertia (§. 349.), et quarta (§. 354.), imperfectae sunt (§. 345.).

§. 356. Si praemissis syllogismi, qui non est in prima figura, substituantur aliae, quarum veritas per priores veras solas ope logices sufficienter cognosci potest, quibusque praemissis syllogismus nouus est in prima figura, fit REDVCTIO *: quae, quia figura prima figura perfecta est (§. 345.), ratione conclusionum in aliis figuris illatarum omnium possibilis, et quia ad cognitionem intellectualem reliquis vtilior (§. 318.), ad eamdem facilitandam vtilis est.

* *ein Schluss wird zur ersten Figur gebracht.*

§. 357. Syllogismi secundae figurae maiorem A si contraponas (§. 288.); maiorem vero E si conuertas simpliciter (§. 286.): facta est reductio (§. 356. 313. 314.).

§. 358. Syllogismus tertiae figurae si habet maiorem vniuersalem, et eius minor A (§. 349.) conuertatur per accidens (§. 285.), reductus est (§. 356. 338. 313. 315.).

§. 359.

§. 359. Syllogismus tertiae figurae ſi habet maiorem vniuerſalem, et eius minor I (§. 350.) conuertitur ſimpliciter (§. 283.), reductus eſt (§. 356. 338. 313. 315.).

§. 360. Si concluſio conuertitur, ex termino minore fit maior, ex maiore minor (§. 308. 278.): hinc ex propoſitione minore maior, ex maiore minor (§. 311.). Mutatio praemiſſarum per conuerſionem concluſionis eſt METATHESIS *.

* *die Vmſetzung des Schluſſes.*

§. 361. Syllogismus tertiae figurae ſi maiorem habeat particularem (§. 350.), et inſtituatur metatheſis (§. 360.), hinc concluſio et ſimul noua minor conuertatur ſimpliciter ſecundum §§. 283. 284. nouus ſyllogismus erit in prima figura (§. 313. 315.), ex cuius noua concluſione ſola per logicam veritas veteris ſufficienter cognoſci poteſt (§. 283. 284.). Hinc ſyllogismus tertiae figurae datus reductus eſt (§. 356.).

§. 362. Syllogismus quartae figurae ſi habeat maiorem affirmantem, et fiat metatheſis ſecundum §. 360. ſimulque, ſi concluſio fuerit I (§. 354.), pro noua minore ſubſtituatur eius ſubalternata ſecundum §. 267: ſyllogismus nouus eſt in prima figura (§. 313. 316.), ex cuius noua concluſione ſola per logicam veritas veteris ſufficienter cognoſci poteſt (§. 283. 286.); hinc ſyllogismus reductus eſt (§. 356.).

§. 363.

§. 363. Syllogismi in quarta figura maior negans si conuertitur simpliciter (§. 286.), minor I simpliciter (§. 283.), minor A vero (§. 354.) per accidens (§. 285.): syllogismus reductus est (§. 356. 313. 316.).

§. 364. SYLLOGISMVS HYPOTHETICVS (conditionalis) * est, qui ex praemissa hypothetica (§. 233.) et altera partem illius principalem (§. 231. 234.) vel ponente vel tollente (§. 236.) concludit. Non hypotheticus CATEGORICVS ** est (§. 233.).

* *ein bedingter*, ** *ein unbedingter Schluss.*

§. 365. Syllogismi hypothetici praemissa alterius partem principalem vel ponens vel tollens MINOR *, altera MAIOR ** est.

* *des bedingten Schlusses Unter-* ** *Ober-Satz.*

§. 366. In syllogismo hypothetico, si obseruamus genesin conclusionis ex praemissis, primum refertur terminus minor ad medium, et deinde medius ad maiorem aut maior ad medium (§. 308.), concluditur vero ex nexu antecedentis cum consequente in propositione maiore (§. 234.): hinc ex necessitate consequentiae (§. 237.): et ex veritate minoris.

§. 367. In syllogismo hypothetico sunt tres termini expressi, quorum minor ter, reliqui singuli bis occurrunt (§. 366.), et tres propositiones expressae ita coordinatae,

tae, vt conclusio inferatur ex praemissis (§. 364.). Ergo *formalis est* (§. 307.).

§. 368. Syllogismus hypotheticus verus est, si praemissae verae sunt, et consequentia vera est (§. 300.): hinc si in maiore est necessitas consequentiae (§ 365. 237.), minor ponat ponenda, tollat tollenda (§. 365. 217. 236.), et concludatur ex necessitate consequentiae in maiore, et veritate minoris (§. 295. 366.).

§. 369. Syllogismus hypotheticus concludit ex necessitate consequentiae in propositione maiore (§. 366.). Iam adest haec consequentia, si antecedens illius est ratio sufficiens consequentis (§. 235. 237.). Hinc syllogismus hypotheticus concludit vel a sufficienti ratione ad sufficienter rationatum, vel a sufficienter rationato ad rationem sufficientem (§. 364.). Hinc nititur his propositionibus: posita aut sublata ratione sufficiente, ponitur aut tollitur sufficienter rationatum; et posito aut sublato sufficienter rationato, ponitur aut tollitur ratio sufficiens. Et hae propositiones, nexum rationis et rationati enunciantes, FVNDAMENTVM SYLLOGISMORVM HYPOTHETICORVM * sunt.

* *die Grundregeln der bedingten Schluesse.*

§. 370. Si minor syllogismi hypothetici partem maioris principalem (§. 234.) ponit, ponit conclusio alteram (§. 364. 365. 369.);

369.): et tunc syllogismus hypotheticus est MODI PONENTIS *. Si minor partem maioris principalem (§. 234.) tollit, tollit conclusio alteram (§. 364. 369.): et tunc syllogismus MODI TOLLENTIS ** dicitur.

* *ein setzender oder bejahender*, ** *ein aufhebender oder verneinender bedingter Schluss.*

§. 371. In syllogismo hypothetico minor vel antecedens vel consequens maioris, vel ponere vel tollere, potest (§. 369.). Hinc *quatuor modi sunt in se possibiles* (§. 370.). At vnius rei plures esse possunt rationes, etiam sufficientes. Hinc a sublato antecedente ad tollendum consequens, et a posito consequente ad ponendum antecedens non semper valet consequentia (§ 300.). Hinc in syllogismo hypothetico non potest tuto concludi nisi a posito antecedente ad ponendum consequens, et a sublato consequente ad tollendum antecedens (§. 369.). Hinc non sunt nisi duo modi semper veri, PONENTIS (in conclusione) CONSEQVENTIS, et TOLLENTIS ANTECEDENTIS (§. 370. 296.).

§. 372. Potest nonnullius rei vnica esse ratio sufficiens: et nonnullum sufficienter rationatum semper esse connexum cum aliqua ratione sufficiente. Quod si est, potest a sublato antecedente ad tollendum consequens, et a posito consequente ad

ponendum antecedens concludi (§. 369.): hinc in modo ponentis antecedentis et tollentis consequentis (§. 370. 371. 296.).

§. 373. Syllogismus hypotheticus mutatur in categoricum, si propositio maior mutatur in categoricam (§. 364. 365. 233.): formatis ex duabus illius principalibus (§. 234.), duobus conceptibus ipsis respondentibus (§. 263. 206.): et tunc fit ordinarius (§. 310.): si fuerit modi ponentis consequentis (§. 371.), in prima figura (§. 313.): si fuerit modi tollentis antecedentis (§. 371.), in secunda (§. 314.): ad primam reducendus secundum §. 357. 358.

§. 374. SYLLOGISMVS DISIVNCTIVVS * est concludens ex praemissa disiunctiua (§. 238.), et altera determinante, quid ex membris disiunctionis sit ponendum aut tollendum. Illa MAIOR **, haec MINOR *** est.

* *ein Trennungs-Schluss,* ** *der Ober-* *** *der Unter-Satz im Trennungs-Schlusse.*

§. 375. In syllogismo disiunctiuo, si obseruamus genesin conclusionis ex praemissis: refertur terminus minor primum ad medium, et deinde ad terminum maiorem, tamquam membrum disiunctionis cum medio: concluditur vero ex veritate disiunctiuae maioris (§. 374.) et aut membro illius vno ponendo, aut omnibus praeter vnum tollendis.

§. 376. In syllogismo disiunctiuo sunt tres termini expressi, quorum minor ter, reliqui singuli bis occurrunt, et tres propositiones expressae, ita coordinatae, vt conclusio inferatur ex praemissis (§. 374. 375.). Hinc *formalis est* (§. 307.).

§. 377. Syllogismus disiunctiuus verus est, si praemissas veras et consequentiam veram habet (§. 300.): hinc si maior disiunctiua vera sit secundum §. 239 - 241; minor ponenda ponat, tollenda tollat (§. 374. 217. 236.), et concludatur ex veritate maioris disiunctiuae et minoris legitime.

§. 378. Syllogismus disiunctiuus concludit ex veritate disiunctiuae maioris, et illius vno membro ponendo, aut omnibus praeter vnum tollendis (§. 375.). Iam veritas disiunctiuae nititur hac propositione: vere oppositorum posito vno, tollenda sunt reliqua, et ponendum semper vnum, (§. 270. 269.). Ergo haec propositio est FVNDAMENTVM SYLLOGISMORVM DISIVNCTIVORVM.

§. 379. Si minor syllogismi disiunctiui ponat vnum membrorum disiunctionis (§. 374.): conclusio reliqua tollat (§. 378. 241.): et tunc syllogismus disiunctiuus erit MODI PONENDO TOLLENTIS *.

* *die Art, so setzend aufhebt.*

§. 380. Si minor syllogismi disiunctiui tollat membra disiunctionis, praeter

 vnum,

vnum, omnia (§. 374.): illud vnum conclusio ponat (§. 378. 239.): et tunc syllogismus disiunctiuus erit MODI TOLLENDO PONENTIS *.

* *die Art, so aufhebend setzt.*

§. 381. Non dantur plures syllogismorum disiunctiuorum modi, praeter hos duos (§. 374. 378.).

§. 382. Syllogismus disiunctiuus mutatur in ordinarium, et quidem primae figurae, vel construendo ex propositione maiore vniuersalem, cuius subiectum est medius terminus (§. 313. 337.), vel mutando eamdem in conditionalem, et reducendo syllogismum hypotheticum ita ortum secundum §. 373.

§. 383. SYLLOGISMVS CORNVTVS (crocodilinus, cornutus dilemma, refutatorius) * est syllogismus hypotheticus consequentis disiunctiui, cuius singula membra disiunctionis tolluntur.

* *ein Dilemma.*

§. 384. Syllogismi cornuti propositio hypothetico disiunctiua MAIOR est, singula huius membra tollentes MINORES: et conclusio tollit antecedens (§. 371.).

§. 385. Syllogismus cornutus est hypotheticus modi tollentis antecedentis (§. 383. 384.): hinc formalis (§. 367.), ad ordinarium reducendus secundum §. 373. verus autem si tum hypotheticus verus (§. 308.),

308.), tum consequens maioris disiunctiua vera est secundum §. 239-241. (§. 382.).

§. 386. SYLLOGISMVS COPVLATIVVS est, cuius propositio maior est copulatiua negans (§. 232.) Quae quum aequipolleat disiunctiuae (§. 264.); verus est, si disiunctiuus aequipollens verus est (§. 377.), cuius est quasi vicarius.

§. 387. SYLLOGISMVS SIMPLEX * est, cuius omnes propositiones sunt simplices (§. 231.); cuius vel vna est composita, est COMPOSITVS **. Ergo hypotheticus (§. 234.), disiunctiuus (§. 238.), cornutus (§. 383.), et copulatiuus (§. 386. 232), sunt compositi.

* *ein einfacher*, ** *ein zusammengesezter Vernunft-Schluss.*

§. 388. Syllogismus ex vna praemissa per regulas logicas iam inferens, est CONSEQVENTIA IMMEDIATA *.

* *eine unmittelbare Folgerung.*

§. 389. Consequentia immediata ex vna praemissa per regulas logicas infert (§. 388.). Hinc nititur hac propositione: vera propositione vna, vera est altera per regulas logicas cum illa connexa, Et haec propositio est FVNDAMENTVM CONSEQVENTIARVM IMMEDIATARVM.

§. 390. Consequentia immediata infert propositionem ex alia per regulas logicas cum illa connexam (§. 389.). Tales regulas

gulas logicas exhibet caput de iudiciis et propositionibus in genere, eiusque sectio secunda §. 262. sqq. in specie: vnde plura et tot in specie dantur consequentiarum immediatarum genera, quot dantur qualitatum propositionum relatiuarum genera, per regulas logicas secundum §. 262-292.

§. 391. Consequentia immediata est syllogismus ex vna praemissa iam inferens (§. 388): ergo non formalis est (§. 307.). Mutatur in formalem, si regula logica, per quam infert, fiat maior propositio expressa (§. 307.).

§. 392. Syllogismus, cuius vnum iudicium non fit propositio (§. 206.), est ENTHYMEMA *. Quod quum possit esse vel maior, vel minor, vel conclusio (§. 295.), triplex datur enthymema: omissae maioris, aut minoris, aut conclusionis.

* *ein verstuemmelter Vernunft-Schluss.*

§. 393. In omni syllogismo sunt tria iudicia (§. 294.), in quorum duobus iam omnes tres termini, eorumdem extrema (§. eod.), ad syllogismum necessarii (§. 293.), occurrunt (§. 312. 367-376.). Hinc enthymema omnia ad syllogismum necessaria continet: et est syllogismus (§. 299.).

§. 394. In enthymemate vnum iudicium non fit propositio (§. 392.): hinc non est syllogismus formalis (§. 307.). Fit formalis, si iudicium non propositum proponatur

natur (§. 105), ex terminis in propositis occurrentibus (§. 393.) legitime formandum.

§. 395. SYLLOGISMVS CONTRACTVS * est conclusioni solum medium terminum expresse addens. Ex quo quum, assumto ex conclusione termino minore, formetur propositio minor, tum in ordinariis (§. 311.), tum in compositis (§. 366. 375.): syllogismus contractus est species enthymematis omissae maioris (§. 392.).

* *ein zusammengezogener Vernunftschluss.*

§. 396. INDVCTIO * est enthymema hanc maiorem omittens: quidquid de singulis conceptibus inferioribus vere affirmatur vel negatur, de conceptu eorum superiori (§. 57.) vere etiam affirmatur, vel negatur vniuersaliter. Hinc *completa* est, si minoribus suis conceptum superiorem exhaurit (§. 197. 199.); sin minus, *incompleta*.

* *ein Zergliederungs-Schluss.*

§. 397. Inductio concludit a de singulis sub aliquo conceptu superiori contentis vel affirmando vel negando, ad de eodem vniuersaliter vel affirmandum vel negandum (§. 396.). Iam singuli sub conceptu superiore contenti inferiores simul sumti illum exhauriunt seu adaequant, (§. 199.); hinc ipsi aequipollent (§. 264.). Hinc in Inductione infertur conclusio ex minore aut minoribus per aequipollentiam. Hinc est enthymema, quod simul consequentia

 imme-

immediata est (§. 390.), et quidem per regulas logicas de aequipollentia propositionum (§. 265.).

§. 398. Inductio est consequentia immediata, per regulas logicas de propositionibus aequipollentibus (§. 397.). Hinc verus est syllogismus (§ 389. 391). At veritas illius cognoscitur ex aequipollentia singulorum sub superiore contentorum simul sumtorum inferiorum cum superiore (§. 397.). Hinc si minores eius vltra dimidium sub superiore contentorum processerint, aliquam (§. 17.); si completa fuerit (§ 396), tunc demum completam dat certitudinem (§ 19.).

§. 399. EXEMPLVM * est conceptus inferior superiorem vel declaraturus (§. 119.), vel probaturus (§. 190.). EXEMPLVM IN RATIOCINIIS ** est enthymema, cuius maior expressa pro terminis suis exemplum aut exempla eorum habet (§. 392.).

* *ein Beispiel,* ** *ein schliessend Beispiel, oder ein Exempelschluss.*

§. 400. Exemplum in ratiociniis concludit a conceptu inferiore aliquo, aut pluribus inferioribus (§. 399.): vel ad eiusdem aut eorumdem superiorem aut superiores; vel ad alium inferiorem, aut plures alios inferiores. Hinc duae dantur species exemplorum in ratiociniis.

§. 401.

§. 401. Exemplum in ratiociniis concludit a conceptu inferiore vel ad eius superiorem, vel ad alium inferiorem (§. 400.). Quum conceptus inferior ſit ſub ſuo ſuperiore contentus (§. 57.): hinc ſuperior in illo contineatur (§. 56.): modus concludendi prior numquam peccat in forma, quoties praedicatum inferioris fit ſine vlla mutatione praedicatum ſuperioris in inferiore contenti, quatenus in illo contentus eſt. At, vt poſterior legitimus ſit, requiritur, tum vt inferior, ad quem concluditur, cum illo, a quo fit concluſio, habeat eumdem ſuperiorem, tum vt ſuperior vtrique communis ſit ratio ſufficiens praedicati vtrique communis.

§. 402. Exemplum in ratiociniis infert ex relatione conceptus inferioris ad ſuperiorem, et ſuperioris ad inferiorem (§. 401.): hinc, quatenus haec relatio regulis logicis demonſtratur (§. 56 ſqq.), ex vna praemiſſa per regulas logicas (§. 399.). Hinc et in tantum eſt enthymema, quod ſimul conſequentia immediata eſt (§. 390.): hinc ſyllogiſmus verus (§. 389.); at, vt formalis fiat, in plures plerumque reſoluendus (§. 401. 391.).

§. 403. SYLLOGISMVS CRYPTICVS * eſt, cuius genuina forma non ſtatim apparet. Ergo conſequentia immediata (§. 391.), et enthymema (§. 394.), cum ſuis ſpeciebus,

bus, ſyllogismo contracto (§. 395.), inductione (§. 396.), et exemplo in ratiociniis (§. 399.), ſyllogismi cryptici ſunt. At praeter illos alii per transpoſitionem et per aequipollentiam, quae vel grammatica vel logica eſſe poteſt, poſſibiles ſunt, minoris momenti.

* *ein verſteckter Schluſſ.*

§. 404. Syllogismus peccans in forma (§. 302.), PARALOGISMVS * eſt, et paralogismus crypticus (§. 403.) eſt SOPHISMA (captio, fallacia) **.

* *ein Fehlſchluſſ,* ** *ein Trugſchluſſ.*

§. 405 SOPHISMA AMBIGVITATIS ſeu AMPHIBOLIAE * eſt, cuius vitium latet in termino vago ſeu ambiguo (§. 147.), vel phraſi amphibolica diuerſo ſignificatu ſumtis. Hinc habet quatuor terminos (§. 299.).

* *eine trueglicbe Zweideutigkeit,*

§. 406. SOPHISMA SENSVS COMPOSITI ET DIVISI * eſt, cuius vitium latet in terminis iisdem ſed diuerſo in nexu ſumtis: et peccat ambiguitate medii termini (§. 405.).

* *die Verfaelſchung des Zuſammenhanges,*

§. 407. SOPHISMA A DICTO SECVNDVM QVID AD DICTVM SIMPLICITER * eſt, cuius vitium latet in termino in vna praemiſſarum ſimpliciter et in altera ſe-

secundum quid sumto: et peccat quatuor terminis (§ 299.)

* *die Weglassung der noethigen Einschraenkung.*

§. 408. SOPHISMA FALSI MEDII (fallacia non caussae vt caussae) * est, cuius vitium latet in termino medio conclusionem non inferente: et peccat consequentia (§. 300.).

* *die Annehmung eines falschen Beweisgrundes.*

§. 409. SOPHISMA POLYZETESEOS * est, cuius vitium latet in propositione composita, considerata ac si esset simplex (§. 231.): et peccat pluribus, quam legitimi sunt, terminis (§. 299.).

* *das truegliche Fragen.*

§. 410. SOPHISMA HETEROZETESEOS * est, cuius vitium latet in falsa conclusionis et rei probandae aequipollentia (§. 264.).

* *eine erbettelte Gleichgueltigkeit.*

§. 411. ELENCHVS * est syllogismus ideo constructus, vt eius conclusio aliam tollat. Heterozetesis in elencho est SOPHISMA IGNORATIONIS ELENCHI (§. 410.) **.

* *ein Gegenschlusf,* ** *ein nur angeblicher Gegenschlusf.*

§. 412. SOPHISMA PETITIONIS QVAESITI (principii) * est, si conclusio fiat immediata sui praemissa: vel iisdem terminis (κοκκυσμος), vel aequipollentibus: et cum heterozetesi (§. 410.), nec non sophis-

phismate, falsi medii (§. 408.), potius manifestus paralogismus, quam sophisma (§. 404.).

§. 413. Ratiocinans per syllogismos probat: et omnis syllogismus est probatio (§. 303.). PROBATIO vnico syllogismo constans est SIMPLEX *; pluribus COMPOSITA **: non cum syllogismo simplici et composito confundenda (§. 387.).

* *ein einfacher*, ** *ein zusammengesezter Beweis.*

§. 414. In probatione composita plures sunt syllogismi (§. 413.). Si praemissa vnius fit conclusio alterius: RATIOCINATIO fit POLYSYLLOGISTICA, et SYLLOGISMI CONCATENANTVR *. Iam probatio composita non potest formanda esse, nisi probandis simplicis vel praemissis, vel consequentia (§. 300). At haec non per plures syllogismos, sed per regulas syllogisticae probanda est (§. 305.). Ergo *in omni probatione composita syllogismi sunt concatenandi.*

* *so entsteht eine Schlusskette.*

§. 415. Ratiocinii polysyllogistici singulis in syllogismis est propositio communis, seu bis occurrens, semel vt conclusio, semel vt praemissa (§. 414.). Ratiocinii polysyllogistici syllogismus ille, cuius est conclusio propositio bis occurrens PRO-

SYLLO-

SYLLOGISMVS *; cuius est praemissa EPISYLLOGISMVS ** vocatur.

* *der Vorschluss,* ** *der Nachschluss.*

§. 416. In omni probatione composita syllogismi sunt concatenandi (§. 414.). Vel concatenantur ita, vt conclusio praecedentis sit praemissa consequentis, hinc probatio procedat ab episyllogismo ad prosyllogismum (§. 416.); vel ita, vt praemissa praecedentis sit conclusio consequentis, hinc probatio progrediatur a prosyllogismo ad episyllogismum (§. eod.). Si prius: concatenantur SYNTHETICE; si posterius, ANALYTICE.

§. 417. Probatio composita oritur, si praemissa prosyllogismi probanda est: et tunc fit episyllogismus (§. 414 415.). At potest praemissa episyllogismi denuo probanda esse: et tunc fit episyllogismus simul prosyllogismus (§. 415.). Ergo *probatio composita potest esse magis ac minus composita.*

§. 418. Probatio composita oritur, si praemissa prosyllogismi probanda est (§. 414. 415.). Vel vna tantum, vel vtraque potest esse probanda (§. 300.). Si posterius: duae oriuntur episyllogismorum series: in maiore probationis compositione praesertim (§. 417.), vt confusio vitetur, vna post alteram construenda.

§. 419.

§. 419. Praemiſſa vtraque probanda, vnius poſt alteram probatio formanda eſt (§. 418.). At maior primum veritatis concluſionis principium, minor ſecundum eſt (§. 294. 311.). Hinc ſi vtraque praemiſſa probanda eſt, *probetur maior ante minorem*: et, ſi duae epiſyllogismorum ſeries formandae ſunt (§. 418.): praecedant epiſyllogismi maioris epiſyllogismis minoris.

§. 420. In probatione compoſita ſyllogismi concatenantur (§. 414.). Concatenati vel ſinguli eiusdem ſpeciei ſunt; vel non. Si poſterius: oritur PROBATIO MIXTIM COMPOSITA *: vt confuſio vitetur, et ſyllogiſticae applicatio facilitetur (§. 305.), vt poteſt, vitanda.

* *ein verſchieden zuſammengeſezter Beweis.*

§. 421. In probatione compoſita, et hinc ratiocinatione polyſyllogiſtica (§. 414.), praemiſſa vnius ſyllogismi fit concluſio alterius (§. eod.). Si praemiſſa ſui fiat mediata concluſio: committitur CIRCVLVS IN PROBANDO *: quum eadem praemiſſa non probans et probanda ſimul eſſe poſſit, cauendus (§. 412.).

* *ein Cirkel im Beweiſen.*

§. 422. REGRESSVS PROBATIONVM * eſt, quando in diuerſis et a ſe inuicem independentibus probationum ſeriebus, diuerſo fine, nunc ex propoſitione B deducitur C, nunc ex propoſitione C de-

deducitur B. In hoc, quoniam nec B nec C fit praemissa sui, non committitur circulus in probando (§. 421.).

* *ein Wechsel-Beweis.*

§. 423. In probatione composita syllogismi concatenantur (§. 414.). Concatenati vel singuli formales sunt (§. 307.); vel non. Si prius, probatio est IN FORMA SYLLOGISTICA *. Si posterius: concatenati fiunt enthymemata (§. 392.).

* *in lauter foermlichen Schluessen.*

§. 424. Probatio composita, seu ratiocinium polysyllogisticum (§. 414.), cuius omnes propositiones bis occurrentes (§. 415.) omittuntur (§. 423.), est SORITES (syllogismus acerualis, coaceruatus) *. Ergo in sorite concatenati fiunt enthymemata (§. 423.).

* *ein gehaeufter Vernunftschluss.*

§. 425. Propositiones in concatenatione syllogismorum bis occurrentes vel sunt episyllogismorum minores, vel eorumdem maiores (§. 415.). SORITES COMMVNIS seu VVLGARIS est, cuius syllogismi omnes sunt in prima figura, et bis occurrentes propositiones episyllogismorum *minores*. Cuius omnes syllogismi sunt in prima figura, sed bis occurrentes propositiones episyllogismorum *maiores*, est SORITES GOCLENII (§. 424.).

§. 426. In sorite *communi* sunt omnes praemissae expressae, praeter primam, quae minor primi episyllogismi est, maiores in prima figura (§. 425.). Hinc in eodem concatenantur plures propositiones ita, vt praedicatum praecedentis semper fiat subiectum consequentis, vsque dum vltimum praedicatum de primo subiecto concludatur. In *Gocleniano* sunt omnes praemissae expressae, praeter primam, quae maior primi episyllogismi est, minores in prima figura (§. 425.). Hinc concatenantur in eodem plures propositiones ita, vt subiectum praecedentis semper fiat praedicatum sequentis, vsque dum de vltimo subiecto primum praedicatum concludatur.

§. 427. *Omnes praemissae in sorite communi expressae sunt* praeter primam, maiores in prima figura (§. 426.): hinc omnes *praeter primam, necessario vniuersales* (§. 337.).

§. 428. *Praemissa soritis communis prima* est minor in prima figura (§. 426. 425.): ergo *semper affirmat* (§. 336.).

§. 429. Si praemissae in sorite communi expressae negantes essent: essent eius episyllogismi negantes (§. 331. 296.). At hi minores in prima figura probant (§. 425.): hinc affirmantes sunt (§. 337.). Vltima maior conclusionis est: hinc negans esse potest (§. 341. 343.). Ergo *in sorite*

rite communi omnes praemissae, praeter vltimam, quae negans esse potest, affirmantes sunt.

§. 430. *In sorite Goclenii omnes praemissae* expressae, praeter primam, minores in prima figura sunt (§. 426.). Ergo omnes *praeter primam*, quae negare potest, *affirmantes sunt* (§. 337.).

§. 431. Si praemissae soritis Gocleniani essent particulares: particulares etiam essent eius episyllogismi (§. 331. 296.). At hi sunt maiores in prima figura probantes (§. 425.): hinc vniuersales (§. 338.). Vltima minor conclusionis est: hinc particularis esse potest (§. 342. 343.). Ergo *in sorite Goclenii omnes praemissae, praeter vltimam*, quae particularis esse potest, *vniuersales sunt.*

§. 432. SORITES HYPOTHETICVS est, cuius omnes propositiones expressae sunt hypotheticae (§. 233.): hinc in quo syllogismi hypothetici fiunt enthymemata (§. 424. 364.): hinc cuius praemissae expressae sunt praeter primam, quae minor primi episyllogismi est, episyllogismorum maiores (§. 365.). Hinc a communi non differt, nisi quod maiores non categoricae sed hypotheticae sunt (§. 425. 426.): et omnis communis potest in hypotheticum, et omnis hypotheticus in communem mutari secundum §. 233.

§. 433. In omni sorite syllogismi concatenati fiunt enthymemata (§. 424. 432.): hinc reducitur in formam syllogisticam, si enthymemata fiant syllogismi formales secundum § 394 (§. 423.): in sorite *communi*, et hypothetico (§. 432.), si prima praemissa fiat minor, secunda maior, et inde inferatur conclusio; haec denuo fiat minor, tertia maior, et sic porro; in *Gocleniano* autem si prima praemissa fiat maior, secunda minor, et inde inferatur conclusio, haec denuo fiat maior, tertia minor, et sic porro (§. 426).

§. 434. EPICHEREMA * est syllogismus, cuius omnes praemissae sunt syllogismi contracti (§. 395.): hinc enthymemata omissae maioris (§. eod.). Hinc epicherema est ratiocinatio polysyllogistica (§. 414): in plures formales resolubilis secundum §. 394.

* *der Handgrif im Schliessen,*

§. 435. Si in concatenatione syllogismorum, quaedam praemissae omittuntur, SALTUS IN PROBANDO * oritur: isque est LEGITIMUS **, si certa et distincta conclusionis ex praemissis cognitio non impeditur (§. 33.): hinc si omissae certae sunt, et ex positis facile suppleri possunt; sin minus, ILLEGITIMUS ***.

* *ein Sprung im Beweisen,* ** *erlaubt,* *** *unerlaubt.*

§. 436.

§. 436. ANALYSIS SYLLOGISMI * est reflexio ad eiusdem varia, praemissas, consequentiam, et conclusionem (§. 295.): hinc ad eadem, ad quae analysis conceptuum ac propositionum (§. 119. 261.), hinc ad syllogismum intelligendum, seu concipiendum, vtilis (§ 261): et in ipsis syllogismis falsis concipiendam eorumdem falsitatem (§. 300.).

* *die Zergliederung eines Vernunftschlusses.*

§. 437. Analysis syllogismi ad intelligendum syllogismum, et ad intelligendam eiusdem veritatem aut falsitatem, vtilis est (§. 436.). At omnia ab intellectu cum conscientia veritatis formata iudicia formantur per ratiocinia: et omnis diiudicatio veritatis iudicii ab intellectu aliquo formati nititur diiudicatione veritatis ratiocinii, aut ratiociniorum, per quod aut per quae formatum est. Hinc analysis ratiociniorum in genere ad intelligendam veritatem ac falsitatem iudiciorum ab intellectu humano formatorum vtilis, ac necessaria est. At analysis ratiociniorum difficulter ac vix obtinetur, nisi fiant syllogismi (§. 299.), et facilius, si fiant formales (§. 307.), et ordinarii, (§. 318.) et in prima figura (§. eod.). Hinc vtilitas syllogismorum, et formalium, et ordinariorum, et in prima figura ad cognitionem intellectualem veram et certam patet (§. 30. 13. 17.).

§. 438. Itur ad copiam ratiociniorum ac ſyllogismorum copia conceptuum et iudiciorum inter ſe connexorum, et habitu nexum et relationem eorumdem diſtincte perſpiciendi (§. 293. 294.): hinc ſicut itur ad copiam conceptuum et iudiciorum (§. 80. 81. 247.), et ad habitum ſeu vſum rationis ſtrictius dictae (§. 29.). At ad copiam verorum, copia conceptuum et iudiciorum verorum inter ſe connexorum requiritur quidem (§. 300.), ſed non ſufficit, et theoria ac praxis ſyllogiſticae neceſſariae ſunt (§. 300. 305.), culturam rationis promouentes, ipſamque adeo perficientes.

LOGI-

LOGICA SPECIALIS.

CAPVT I.

EMPIRICA, SEV DE COGNITIONE PER SENSVM, ET EXPERIENTIAM.

1) *de experientia in se* §. 439-443. *in genere et de strictius dicta* §. 444-451. *et latius dicta* §. 452-463. *in specie.* 2) *de eadem perficienda extensiue* §. 464. *intensiue* §. 465-473.

§. 439.

Cognosco per sensationem, hinc per sensum (§. 10.): multa clare, plura obscure (§. 14.). Illa experior (§. 101.). Scientia experiendi, seu cognitionis per sensum perficiendae, est EMPIRICA *: quum omnis cognitio, hinc intellectualis etiam, ex sensationibus oriatur (§. 78.), et experiendo extendatur ac intendatur (§. 80. 24.): disciplina logica (§. 42.) ante reliquas speciales demonstranda (§. 46.).

* *die Wissenschaft zu erfahren, oder der Erfahrungs-Erkentnis.*

§. 440. Experientia est cognitio per sensum clara (§. 439. 101.): vel per internum,

num, vel per externum acquisita (§. 10.), vnde vel *interna*, vel *externa* est: et vel immediate per sensationem orta, EXPERIENTIA STRICTIVS DICTA *, vel mediate proxime aut propius ex sensatione illata (§. 298.), EXPERIENTIA LATIVS DICTA **. Illa, quum nullum ratiocinium sensu solo formetur (§. 293.), vel conceptus intuitiuus (§. 65.), vel iudicium intuitiuum (§. 246. 7.); haec discursiua (§. 246.) est.

* *eine unmittelbare*, ** *eine mittelbare Erfahrung.*

§. 441. Si experimur (§. 439.), vel statum experiendi internum ideo et ita determinauimus, vt experiremur; vel non. Si prius: iudicia intuitiua inde nata (§. 440.) sunt EXPERIMENTA *. Si posterius: sunt OBSERVATIONES **. Hinc, quis *experimentator*, et quis *obseruator* sit, patet.

* *Versuche*, ** *Beobachtungen.*

§. 442. Iudicium intuitiuum, et ex eo cognita (§. 440.), A POSTERIORI COGNOSCVNTVR *. Philosophice (§. 26.), sed non ab experientia cognita, cognoscuntur A PRIORI **: hinc quae ratiociniis cognoscuntur, quorum nulla praemissa est experientia (§. 295.).

* *aus der Erfahrung*, ** *aus gemeinen Gruenden, oder aus der Vernunft.*

§. 443. Si quid cognoscitur vel partim sensu partim ratiocinando, hinc ex prae-

praemiſſis partim intuitiuis partim diſcurſiuis (§. 440.), vel a priori et a poſteriori (§. 442.), oritur CONNVBIVM RATIONIS ET EXPERIENTIAE *. Si non niſi a poſteriori cognoſcenda velimus a priori, ſi non niſi a priori cognoſcenda velimus a poſteriori cognoſcere, oritur CONFVSIO RATIONIS ET EXPERIENTIAE **.

* *eine Vereinbarung der Vernunft und Erfahrung,* ** *eine Vermengung der Vernunft und Erfahrung.*

§. 444. Omnis res ſenſa vnum eſt. Hinc attendendo ad rem ſenſam acquirimus perceptiones vnius, hinc conceptus (§. 7.) intuitiuos (§. 10.): et quidem claros (§. 112.), hinc conceptus per experientiam (§. 101.).

§. 445. Si rem ſenſam ſumamus pro ſubiecto: quidquid in ea attendendo et reflectendo (§. 16.) ſentimus immediate pro praedicato: iudicamus (§. 206. 207.). Iudicium ita formatum intuitiuum ſeu iudicium ſenſuum eſt (§. 246.); et quum illud clare cognoſcamus (§. 112.), experientia (§. 101. 439.), et quidem ſtrictius dicta (§. 440.).

§. 446. Quidquid ſentimus, exiſtit, hinc actuale eſt. At de re ſenſa negan-da in ipſa non actualia ſunt: hinc ipſi non conuenientia (§. 61.). Ergo omnes

conceptus intuitiui positiui (§. 181.), et omnia iudicia intuitiua adfirmatiua sunt (§. 213.): hinc *nullum intuitiuum negat* (§. eod.).

§. 447. Quidquid sentimus, existit, et actuale, hinc ens singulare est. Ergo omnes conceptus intuitiui ideae (§. 51.), et omnia iudicia sensuum singularia sunt (§. 220.): *hinc nullum intuitiuum commune* (§. eod.), multo minus vniuersale est (§. 221.): et qui ad experientiam prouocat, casum singularem afferat.

§. 448. Quidquid sentimus, existit. Hinc omnia attendendo et reflectendo sentienda rei sensae praedicata (§. 445.) ad existentiam illius pertinent. Ergo nulla ad essentiam illius pertinentia sentiuntur immediate. At existentia omnium sensibus nostris subiectorum modus est: hinc quae ipsis actu insunt, ipsis contingenter insunt actu. Hinc *omne iudicium sensuum aut modum aut relationem rei sensae repraesentat*: et nullius rei sensae essentia aut essentialia, aut attributa solo sensu percipiuntur (§. 171.): hinc non experientiae strictius dictae fiunt (§. 440.). Idem sic patet: quidquid sentio, in me agit: et quod sentio immediate, est actio rei sensae: hinc mutatio status: hinc modus rei, aut relatio.

§. 449. Nullius rei ſenſae ſolo ſenſu percipitur eſſentia (§. 448.): ergo nec poſſibilitas interna nec abſoluta. Phyſice alicui poſſibile eſt, quod ab alicuius natura actuari poteſt. At ſolo ſenſu cognoſcitur, quod ab aliquo natura ſua actuatur. Ergo nec ſolo ſenſu, quod alicui phyſice poſſibile eſt, cognoſcitur.

§. 450. Cauſſa eſt principium exiſtentiae: hinc rationem exiſtentiae continens (§. 9.). Hinc cauſſa et cauſſata ſunt connexa (§. eod.). At nexus rerum perſpicitur relatione (§. 29.): ergo non ſolo ſenſu. Ergo *cauſſae rerum non immediate ſentiuntur*: hinc non ſunt obiecta experientiae ſtrictius dictae (§. 6. 440.): et omnis experientia ſtrictius dicta non niſi cognitio hiſtorica eſt (§. 26.).

§. 451. Si diſcurſiua habentur pro intuitiuis, committitur VITIVM SVBREPTIONIS *. Hinc ſi iudicia negatiua (§. 446.), ſi communia (§. 447.), ſi eſſentiam, aut eſſentialia aut attributa rei ſenſae (§. 448.), ſi phyſice ipſi poſſibilia (§. 449.), ſi cauſſas repraeſentantia (§. 450.), et in genere experientiae forſan latius dictae (§. 440.) habeantur pro iudiciis intuitiuis, committitur.

* *der Erſchleichungs-Fehler.*

§. 452. Vere oppoſita eidem rei ſimul ineſſe nequeunt (§. 269.). Ergo vere oppo-

oppoſita praedicatis rei per iudicium intuitiuum tributis (§ 446.), vere de eadem negantur (§. 270 217.). Ergo connubio rationis et experientiae (§. 443.), inferuntur ex iudiciis veris intuitiuis adfirmatiuis (§. 446.) *vera negatiua*: experientiae latius dictae (§. 440.).

§. 453. Si iudicia intuitiua ſingularia (§. 446.) exhibeant inductionem completam (§. 396.): ex iis formantur connubio rationis et experientiae (§ 443.) vera vniuerſalia (§. 398.). Si exhibent exempla (§. 399.), aut inductionem incompletam (§. 396.): ex iis formantur vera particularia (§. 221.). Ergo *iudicia communia et vniuerſalia* poſſunt eſſe experientiae latius dictae (§. 440.).

§. 454. Ab exiſtentia ad poſſibilitatem valet conſequentia. Hinc ex exiſtentia rei ad eius poſſibilitatem internam et abſolutam, ex modis per iudicium intuitiuum rei tributis (§. 448.) ad poſſibilitates eorum, hinc ad *attributa*, ex actionibus ad facultates, ſeu phyſice ipſi poſſibilia (§. 449.), et ex paſſionibus rei ad receptiuitates eiusdem valet conſequentia. Hinc *fiunt obiecta experientiae latius dictae* (§. 440. 6.).

§. 455. Quidquid experior in ſenſo mutari, illud non eſt eius eſſentia, nec eſſentiale, nec attributum (§. 171.). Ergo ſi

ſi in ſenſo nunc experior A, nunc B, quo poſito ponitur non A, A quoque non eſt eius eſſentia, nec eſſentiale, nec attributum. Si quid experior ſenſo conſtanter ineſſe, nec vmquam oppoſitum ineſſe, aut aliquo modo mutari, poteſt eſſe eius eſſentiale aut attributum: et ſi in multis eiusdem ſpeciei aut generis inductione licet incompleta, idem obſeruo, probabile fit eſſe eſſentiale aut attributum (§. 398.).

§. 456. Quidquid experior a ſenſo ſalua re, abeſſe aut auferri poſſe, illud non eſt eius eſſentia, nec eſſentiale, nec attributum. De quo experior contrarium, illud eius aut eſſentiale aut attributum eſt.

§. 457. Eſſentia, eſſentialia, et attributa entium exiſtentium in ipſis exiſtunt. Eatenus etiam ſentiri poſſunt: licet non qua eſſentia, eſſentialia, et attributa (§. 448). Si connubio rationis et experientiae cognoſcitur nonnulla in ſenſo ſenſa varia eſſe reliquorum in internis rationes ſimpliciter tales, et alia illorum ſufficienter rationata, illa eſſe eſſentiam, eſſentialia, haec attributa, cognoſcitur per experientiam latius dictam (§. 440.).

§. 458. Pluribus modis connubio rationis et experientiae vel probabiliter, vel cum completa certitudine, cognoſcuntur eſſentia, eſſentialia, et attributa rerum a poſteriori (§. 454-457.): hinc notae defini-

finitiones reales, et nominales ingredientes (§. 172. 182.). Hinc *definitiones a posteriori, formari possunt* adhibitis regulis earum logicis. (§. 191.).

§. 459. Pluribus modis cognoscuntur praeter modos et relationes (§. 448.), quae determinationes propositionum fieri possunt (§. 227.), essentia essentialia et attributa a posteriori (§. 454 - 457.): et hinc etiam definitiones (§. 455.). Iam propositio vniuersalis, cuius hypothesis sufficiens est subiecti vel essentia, vel essentiale, vel attributum, vel definitio, vel determinatio cum subiecto combinata, est vera vniuersalis (§. 229.). Hinc alio modo patet, quomodo *iudicia vera vniuersalia possunt fieri experientiae latius dictae* (§. 453.): et quomodo ex iudicio intuitiuo exemplum exhibente pro maiori posito, inferri possit conclusio vniuersalis vera (§. 401.).

§. 460. Si in sensorum coexistentium vel successiuorum vno intueor principium existentiae alterius, *vere illud huius caussa iudicatur* (§. 450.). Intueor vero, esse vnum principium existentiae alterius, si constanter experior alterum non existere, nisi ipsi iungatur primum: licet iudicio discursiuo et connubio rationis et experientiae (§. 443.): hinc experientia latius dicta (§. 440.), sed tamen a posteriori (§. 442.).

§. 461.

§. 461. Si in coexiſtentium vel ſucceſſiuorum pluribus intueor principium exiſtentiae alterius, huius cuncta cauſſae ſunt (§. 460.): ergo vnicum ex iis falſo pro cauſſa ſolitaria haberetur.

§. 462. Qui quaedam ſibi coexiſtere vel ſibi ſuccedere experitur, hinc immediate ſe iudicat expertum, vnum eſſe alterius cauſſam, vitium ſubreptionis committit (§. 461. 451.): et poſſibile eſt, vt erret: ſophismate *poſt hoc aut cum hoc, ergo propter hoc.*

§. 463. Poſita cauſſa tamen impediri poteſt cauſſatum: hinc cauſſa efficiente, effectus. Hinc non tuto concludi poteſt, vnum non eſſe cauſſam alterius, ſi non conſtanter cum ipſo connexum ſit alterum (§. 460.).

§. 464. Itur ad COPIAM COGNITIONIS A POSTERIORI, copia conceptuum et iudiciorum intuitiuorum (§. 440.), multum obſeruando et experimentando (§. 441.), et copia diſcurſiuorum connubio rationis et experientiae ex intuitiuis deriuandorum, ſecundum §. 452-463. (§. 442.).

§. 465. Quidquid ſentimus, exiſtit: hinc poſſibile (§. 454.) et in ente repraeſentabile eſt (§. 61.). Hinc omnis conceptus intuitiuus verus (§. 88. 89.), et omne iudi-

iudicium ſenſuum, dum conuenientia repraeſentat (§. 446.), verum eſt (§. 217.).

§. 466. Omnis conceptus intuitiuus verus, et omne iudicium intuitiuum verum eſt (§. 465.). At, ſi obiectum vere fuerit ſenſum (§. eod.): hinc in obſeruationibus rite et cum attentione (§. 445.) adhibitis ſenſibus et admotis organis ſenſoriis; in experimentis vero iisdem praeter ea rite inſtitutis (§. 441.).

§. 467. Experientia latius dicta eſt iudicium diſcurſiuum, ex intuitiuo illatum (§. 440.): hinc praemiſſa alia, aut pluribus aliis cum eodem connexa aut connexis (§. 295.). Vt itaque experientia latius dicta vera ſit, iudicium intuitiuum, ex quo infertur, praemiſſa alia aut aliae cum ipſo connexae, et conſequentia vera ſint (§. 300.).

§. 468. Iudicia ſenſuum vel dicuntur intuitiua (§. 445.), et numquam falſa ſunt (§. 466.), vel concluſiones, quarum praemiſſa eſt iudicium intuitiuum, et poſſunt eſſe falſa (§. 467.). At tunc non ſenſus fallit auctorem iudicii intuitiui, ſed aut analogon rationis peccans in forma ſui quaſi ratiocinii (§. 293. 301.), aut hoc peccat in altera praemiſſa enthymematice omiſſa (§. 392.), aut vtrimque ſimul peccatur (§. 302.).

§. 469. Quidquid ſentitur, exiſtit (§. 446.): et quidquid in rebus ſenſibus noſtris

ſtris ſubiectis exiſtit, poteſt ſentiri. Hinc attendendo et reflectendo ad obiecta ſenſa poſſunt varia in iisdem exiſtentia clare cognoſci: hinc illorum conceptus intuitiui diſtincti (§. 102.), immo adaequati (§. 108.) formari ſecundum §. 114. 116. eorumque formatio tum ſenſum armando (§. 115.), tum anatomia ſeu reſolutione ſenſorum, ſi poteſt, in eorumdem partes promouetur.

§. 470. Omne iudicium intuitiuum iudicium, hinc reſolubile eſt (§. 260.), formaliter non tantum ſed et materialiter (§. 259.). Analyſis iudicii intuitiui, ſi praeſertim notabiliter compoſitum ſit, reflectendo circa partes illius, et varia in eodem contenta inſtituenda (§. 119.), tum diſtinctionem in cognitione a poſteriori producit (§. 259.), tum ad rerum cauſſas etiam accuratius detegendas iuuat (§. 460. 461.).

§. 471. Conceptus et iudicia intuitiua falſa eſſe nequeunt (§. 465.): hinc veriſſima (§. 13.), et indubitata, hinc certa ſunt (§. 32.). Hinc experientia ſtrictius dicta cuique vere ſe ſenſiſſe conſcio (§. 466.) certa eſt, (§. 17.), certitudine phyſica (§. 18.), et mathematica (§. 19).

§. 472. Experientia latius dicta eſt concluſio ex iudicio intuitiuo cum aliunde cognito, aut pluribus aliis connexo illa-

ta (§. 440.). Hinc certa est, si praemissa aut praemissae cum iudicio intuitiuo connexae certae, et consequentia legitima sunt (§. 304.); et mihi certa (§. 17.), si tum praemissae aut praemissarum connexarum veritatem ex certis cognosco (§. 32. 33.), tum legitimae ratiocinii formae mihi conscius sum; certitudine physico-logica (§. 18.), et mathematica (§. 19.). At potest mihi non nisi probabilis esse (§. 455. 20.).

§. 473. *Experientia* et latius et strictius dicta *principia cognitionis humanae certa suppeditat* (§. 471. 472.): hinc principia demonstrationum (§. 33. 248.): et quum omnis cognitio ex rationibus philosophica sit (§. 26.), per experientiam latius dictam vero plura cognoscantur ex rationibus (§. 452-463.), pluribus modis *cognosci potest philosophice a posteriori* (§. 442. 460.): licet omnis experientia strictius dicta non sit nisi historica (§. 450.).

CAPVT



CAPVT II.

LOGICA STRICTISSIME DICTA, SEV DE COGNITIONE PER RATIONEM.

1) *de cognitione per rationem seu a priori in se* §. 474-486. 2) *de eadem perficienda a) extensiue seu qua copiam* §. 487-501. *b) intensiue, qua veritatem* § 502-513. *qua claritatem* §. 514-516. *qua certitudinem* § 517-536.

§. 474.

Cognosco per ratiocinium et per ratiocinia (§. 10.): nonnulla confuse, nonnulla distincte (§. 14.): hinc per rationem latius (§. 8.), et strictius dictam (§. 29.): vel ex praemissis, quas ingrediuntur experientiae, connubio rationis et experientiae (§. 443.), vel ex praemissis, quarum nulla est experientia, hinc a priori (§. 442.), per rationem solam et strictissime sumtam. Scientia cognoscendi a priori, seu per rationem strictissime sumtam est LOGICA STRICTISSIME DICTA *: quum omnis cognitio distincta a priori intellectualis sit (§. 29. 30.), disciplina logica (§. 42. 46.).

* *die Vernunftlehre in engster Bedeutung, oder die Wissenschaft der Erkentnis aus der Vernunft.*

§. 475. Quidquid a priori cognoſcitur, cognoſcitur ratiocinando, et quidem diſtincte (§. 474.), hinc per probationem (§. 303.). At in cognitione a poſteriori cognoſcuntur iudicia intuitiua ſine probatione (§. 440.). Hinc licet diſcurſiua non ſine illa cognoſcantur (§. eod.), quidquid a priori cognoſcitur, PER PROBATIONEM COGNOSCI dicitur.

* *das wird durch einen Beweis erkant.*

§. 476. Quidquid a priori cognoſcitur, cognoſcitur ratiocinando, et quidem diſtincte (§. 474.): hinc ex praemiſſis, tamquam veritatis eiusdem principiis (§. 294.): hinc ex rationibus (§. 9.): hinc philoſophice (§. 26.): et *omnis cognitio a priori eſt cognitio philoſophica*: licet non vice verſa (§. 473.).

§. 477. Character veritatis *internus*, ſeu intrinſecus, eſt ratio cognitionem veram iudicandi in ipſo cognitionis obiecto (§. 6.) contenta (§. 54.); non internus *externus* eſt. Quidquid cognoſcitur a poſteriori, cognoſcitur ex ſenſatione (§. 442.), hinc ex ratione non in cognoſcendo ſed in cognoſcente contenta: hinc ex charactere veritatis externo. *Quidquid cognoſcitur a priori*, *cognoſcitur* ex praemiſſis, quarum nulla eſt experientia (§. 442.), hinc character veritatis externus; ſed rationes veritatis concluſionis in interno concluſionis

cum

cum praemiſſis nexu fundatas continentibus: hinc *ex characteribus veritatis internis*.

§. 478. Quidquid a priori cognoſcitur, ex internis veritatis characteribus cognoſcitur (§. 477.). At hi, quum omne a priori cognoſcendum ſit vel conceptus combinatus, vel iudicium ipſi reſpondens (§. 92. 263), continentur tum in notis rei cognoſcendi internis ac neceſſariis, earumque compoſſibilitate (§. 94), tum in nexu eiusdem neceſſario cum aliis veris aut conceptibus aut iudiciis (§. 95.). Ergo *quidquid a priori cognoſcitur, vel ex notis cognoſcendi internis ac neceſſariis* (§. 54.), *vel ex nexu eiusdem cum aliis veris conceptibus aut iudiciis cognoſcitur*: et duplex datur a priori cognoſcendi principium (§. 9.).

§. 479. Prius a priori cognoſcendi principium eſt in notis cognoſcendorum internis ac neceſſariis (§ 478.). At hae ſunt cognoſcendorum eſſentia, eſſentialia, et attributa (§. 171.): et exhibentur in eorum definitionibus (§. 172.). Hinc prius a priori cognoſcendi principium abſoluitur *cognoſcendorum definitionibus*: vel realibus (§. 182.), vel eſſentialibus, vel accidentalibus, ſeu nominalibus (§. 185.).

§. 480. Alterum a priori cognoſcendi principium eſt in nexu cognoſcendorum neceſſario cum aliis veris aut conceptibus, aut iudiciis (§. 478.). At non ſunt in nexu

nisi se vt ratio et rationatum ad se inuicem habentia (§. 9.), et in necessario, nisi ita connexa, vt posito vno ponatur alterum, sublato vno tollatur alterum (§. 95.). Hinc alterum a priori cognoscendi principium absoluitur conceptibus aut iudiciis cognoscendorum vel rationibus vel rationatis cum illis ita connexis, vt ipsis positis ponenda, sublatis vero tollenda sint cognoscenda.

§. 481. Prius a priori cognoscendi principium absoluitur cognoscendorum definitionibus (§. 479.). Hoc modo nullus modus et nulla relatio a priori cognoscitur (§. 172.). Alterum posset iuuare ad cognitionem modorum et relationum, si in conceptibus aut iudiciis connexis essent conceptus aut iudicia de rebus modos et relationes habentibus, hinc de existentibus et entibus singularibus, hinc conceptus intuitiui, aut iudicia intuitiua (§. 448.), hinc experientiae (§. 440.). At nulla experientia ingreditur probationem a priori (§. 442. 474.). Hinc nec hoc modo cognoscitur modus aut relatio a priori. Ergo *quidquid cognoscitur a priori, vel essentia, vel essentiale, vel attributum est* (§. 171.): licet eadem etiam cognoscibilia sint a posteriori (§. 454 - 457.).

§. 482. Quidquid a priori cognoscitur, vel essentia, vel essentiale, vel attributum est, (§. 481.). At essentia, essentialia,

lia, et attributa sunt in singulis sub ente eiusdem essentiae contentis. Hinc *cognoscuntur a priori iudicia communia et vniuersalia* (§. 225. 229.).

§. 483. Quidquid a priori cognoscitur, vel essentia, vel essentiale, vel attributum, et numquam modus aut relatio est (§. 481.). Hinc quaecunque rei praedicata a priori cognoscuntur, ad essentiam rei pertinent, et nullum ad illius existentiam pertinens cognoscitur a priori: hinc nullum entis, qua existentis et singularis. Hinc *nullum iudicium singulare cognoscitur a priori* (§. 220.) et singularia non possunt demonstrari strictius (§. 248.).

§. 484. Quidquid a priori cognoscitur, cognoscitur per probationem (§. 475.): hinc, si iudicium aut propositio sit, fit demonstratiua (§. 249.).

§. 485. Quidquid a priori cognoscitur, cognoscitur per probationem (§. 475), vel ex definitionibus, vel ex aliis aut conceptibus aut iudiciis connexis (§. 478.): vel per probationem simplicem (§. 413.) et breuiorem vt corollarium (§. 257.), vel per compositam et longiorem (§. 413.) vt theorema aut problema (§. 257.). Propositio a priori ex definitione per simplicem probationem cognita erit aut axioma definitionis, aut postulatum. Hinc *a priori*

axiomata, postulata, theoremata problemata et corollaria cognosci possunt.

§. 486. Quidquid a priori cognoscitur, cognoscitur vel ex cognoscendorum definitionibus, vel ex aliis aut conceptibus aut iudiciis connexis (§. 478.), per probationem vel simplicem vel compositam (§. 485.). Si cognoscitur per compositam ex definitionibus, cognoscitur mediantibus axiomatibus aut postulatis, illarum corollariis: vel solis, vel assumtis aliis aut conceptibus aut iudiciis. Et si cognoscitur per compositam ex conceptibus aut iudiciis cum cognoscendo connexis, iterum cognoscitur vel ex illis solis vel cognoscendi definitionibus assumtis. Hinc *cognitio a priori composita vel vnico tantum modo vel duplici composita est*, seu vel ex vno tantum illius principio, vel ex vtroque deducitur (§. 478.).

§. 487. Itur ad copiam cognitionis a priori copia definitionum, et axiomatum, postulatorumque ex definitionibus nec non aliorum conceptuum et iudiciorum cum cognoscendis connexorum, aut, quum nullum sit, ex quo non aliud cognosci possit, copia iudiciorum et propositionum indemonstrabilium et demonstratiuarum, (§. 478 - 486.). Hinc quo plura quis nouit, eo plura potest etiam cognoscere a priori, et philosophice (§. 476.). Sed accedat ha-

habitus ratiocinandi et legitime ratiocinandi (§. 474.).

§. 488. Itur ad copiam cognitionis a priori copia *definitionum* (§. 487.). De his formandis et comparandis praecipit caput de definitionibus §. 151-191.

§. 489. Itur ad copiam cognitionis a priori copia *axiomatum ex definitionibus* (§. 487.). Axiomata formaturus ex definitione, aut 1) ſumat definitum pro ſubiecto, et aliquas aut ſingulas definitionis notas pro praedicato (§. 254.) aut 2) totam definitionem conuertat ſimpliciter (§. 281.), aut 3) contraponat (§. 289.).

§. 490. Itur ad copiam cognitionis a priori copia *poſtulatorum ex definitionibus* (§. 487.). Poſtulata formaturus ex definitionibus, aut 1) producturum definitum ſumat pro ſubiecto, illique omnes definitionis notas, aut 2) eidem ſubiecto aliquas aut ſingulas definitionis notas producendas iudicet (§. 256.), aut 3) producturum definitionem definitum producere iubeat (§. 281.), aut 4) non producturum definitum vetet producere definitionem, aut 5) non producturum definitionem vetet producere definitum (§. 289. 250.).

§. 491. Concluſiones ex definitione et aliis praemiſſis, quae tamen enthymematice omittuntur, demonſtrandae, ſunt AXIOMATA ET POSTVLATA SECVNDARIA *.

Talia axiomata via prima §. 489. inuenta, et postulata via secunda §. 490 reperta erunt, si contraponantur (§. 289. 390.).

* *keinen ausdruecklichen Beweis brauchende Saetze.*

§. 492. Itur ad copiam cognitionis a priori copia *conceptuum in genere* (§. 487.). De hac comparanda praecipit caput de conceptibus §. 79 86.

§. 493. Itur ad copiam cognitionis a priori copia *indemonstrabilium* (§. 487.), hinc axiomatum et postulatorum in genere (§. 250.). Talia, praeter definitiones (§ 255. 256. 489. 490.), suppeditat praesertim ontologia.

§. 494. Itur ad copiam cognitionis a priori denique copia *propositionum demonstratiuarum* (§. 487): hinc theorematum, problematum, et consectariorum (§. 257.), in omni scientiarum ambitu comparanda, et legitima theorematum, problematum, et consectariorum a priori aut a posteriori formatione augenda.

§. 495. *Theorema* formaturus (§. 494.) propositionem per plures prosyllogismos probare tenetur (§. 257. 415.): hinc nosse et adhibere 1) principia probationum compositarum tum a priori (§. 478. 486.), tum a posteriori cognoscenda (§. 473.) 2) formam concludendi concatenandique syllogismos legitimam (§. 414.).

§. 496. *Problema* formaturus (§. 494.), propoſitionem practicam longioris probationis formare tenetur (§. 257.). Problema aut in forma theorematis aut in forma regulae enunciari poteſt. Si prius; problema formaturo idem, quod theorema formaturo (§. 495.) agendum eſt. Si poſterius: problema ſtrictius actionem producendam determinans formandum, et pars PROBLEMATIS actionem, cuius geneſis reſoluenda eſt, denominans, eſt QVAESTIO *; actionis quaeſitae varia recenſens eſt SOLVTIO **; et ſufficienter probans, praeſtitis in ſolutione requiſitis exſtituram eſſe actionem quaeſitam, eſt DEMONSTRATIO ***.

* *die Frage der Aufgabe*, ** *die Aufloeſung*, *** *der Erweis*.

§. 497. Problema formaturo ſolutio quaeſtionis et demonſtratio ſolutionis formandae ſunt (§. 496.). Vel actio reſoluenda exiſtit, et geneſis ipſius obſeruando aut experimentando ſentiri poteſt; vel non. Si prius: ſolutio actionis quaeſitae cognoſci et demonſtrari poteſt a poſteriori (§. 442.). Si poſterius: cognoſcenda et demonſtranda eſt a priori: et tunc vel definitio actionis quaeſitae, et ſi compoſita ſit, definitiones actionum partialium, vel conceptus et iudicia cum actione quaeſita con-

connexa, ſolutionis et demonſtrationis principia ſuppeditant (§. 478.).

§. 498. Actionis quaeſitae notio ſi ſentiendo formata eſt (§. 497.): aut ſolutio eſt tantum analyſis iudicii intuitiui (§. 470.), nec eget vlteriore demonſtratione (§. 465.); aut quaedam ſaltim eius partes ſunt diſcurſiuae (§. 246.), et hae ſingulatim demonſtrandae (§. 496.). In vtroque tamen caſu demonſtrandum reſtat, alio tempore et loco, circumſtantibus aliis, vel etiam agentibus aliis, exſtituram eamdem eſſe actionem quaeſitam.

§. 499. Actionis quaeſitae notio ſi ſit abſtrahendo formata (§. 68.), et abſtrahantur 1) a ſolutionibus actionum, a quibus abſtracta eſt actio quaeſita, ſolutiones differentiarum (§. 59.) 2) ab earum demonſtrationibus demonſtrationes differentiarum: reſidua dabunt problema actionis quaeſitae (§. 68. 496.).

§. 500. Actionis quaeſitae notio ſi per combinationem orta eſt (§. 71.), reſoluatur in combinatas, harum quaeuis reſoluatur denuo (§. 119.), demonſtretur his actionibus praeſtitis exſtituram quaeſitam: et problema formatum eſt (§. 496.).

§. 501. *Conſectaria* et *corollaria* formaturus (§. 494.) formet axiomata et poſtulata ſecundaria (§. 491.), conſequentias immediatas (§. 388-390.), et reſoluat theoremata

mata et problemata a priori aut a posteriori formata (§. 2;9 119.).

§. 502. Cognitio a priori est cognitio per ratiocinium aut ratiocinia (§. 474.). Hinc *veritas* cognitionis a priori in genere eadem cum veritate cognitionis per ratiocinium, et ex materiali et formali composita est (§. 300. 304.); vtraque etiam absoluitur (§. 300.). Ad veritatem problematis a priori aut a posteriori formati (§. 497.), in specie pertinet, vt tum actio quaesita eiusque solutio sit possibilis, etiam hypothetice, tum solutio sit completa, seu ad finem sufficientia contineat, tum sit adaequata, seu nihil superfluum, i. e. ad actionem quaesitam praestandum non requisitum, contineat.

§. 503. Veritas quum in genere ordo plurium in vno sit: quo veriora, quo maiori ordine coniungit cognitio, eo verior est. Maior in cognitione ordo METHODVS *; cognitio methodo carens TVMVLTVARIA ** est.

* *die Methode oder Lehrart*, ** *ein Gemenge*.

§. 504. Methodus legem sensationis et imaginationis sequens, est HISTORICORVM *; legem ingenii sequens, methodus INGENII **: vtraque COMMVNIS seu vulgaris ***. Methodus legem rationis sequens, seu qua cogitationes sibi succedunt sic, vti vna ex altera deducitur,

ME-

METHODVS RATIONIS **** eſt: quae quum det cognitionem ex rationibus, PHILOSOPHICA (§. 26.), ac, ſi dirigatur ad ſcientiam (§. 32.) SCIENTIFICA ac DEMONSTRATIVA ***** eſt.

* *die hiſtoriſche Lehrart,* ** *die Lehrart des Witzes,* *** *die gemeine oder gewoehnlichere,* **** *die Lehrart der Vernunft, oder die vernuenftige,* ***** *die erweiſende Lehrart.*

§. 505. METHODVS rationis ac philoſophica principia cum principiatis coniungit (§. 504. 9.). Vel principia principiatis, vel principiata principiis anteponit. Illa SYNTHETICA; haec ANALYTICA eſt (§. 416.).

§. 506. Methodus ſynthetica principia principiatis anteponit (§. 505.): hinc definitiones notarum conceptibus, quos ingrediuntur (§. 55.), praemiſſas concluſionibus (§. 295.), et proſyllogismos epiſyllogismis (§. 415.).

§. 507. METHODVS ſynthetica accuratior eſt MATHEMATICA *. Hinc methodus mathematica eſt philoſophica, et ſcientifica, ac demonſtratiua (§. 505. 504.).

* *Die ſtrenge oder mathematiſche Lehrart.*

§. 508. Methodus eſt maior in cognitione ordo (§. 503.): hinc ſimilia ſimili modo ſeu regulis ſimilibus et communibus coniungit. Methodus mathematica eſt ſcientifica (§. 507.): hinc ad ſcientiam diri-

dirigenda (§. 504.). hinc certa certo modo, seu regulis certitudinem mathematicam producentibus, coniungit (§. 32.). Est synthetica scientifica accuratior (§. 507.): hinc certa accurate hinc logice expressa, accuratis hinc logicis definitionibus, accuratis hinc omnes regulas logicas explentibus demonstrationibus, synthetice coniungit.

§. 509. Methodus veritatem in cognitione (§. 503.), sed praeter ea claritatem, nexum, harmoniam, et cognoscendorum comparationem (§. 16.), promouet. Hinc *sit in omni cognitione methodus*: hinc etiam *in cognitione a priori*: et quum omnis cognitio a priori philosophica sit (§. 476.) methodus *philosophica* (§. 504.).

§. 510. Methodus synthetica principia principiatis anteponit (§. 505.): hinc, quae secundum hanc methodum cognoscuntur, statim distincte et cum certitudine cognoscuntur (§. 506.). Analytica principiata principiis anteponit (§. 505.): hinc, quae secundum hanc methodum cognoscuntur, non statim distincte et cum certitudine cognoscuntur, sed deinde primum resoluuntur ac probantur. Hinc methodus synthetica ad cognitionem philosophicam (§. 26. 28.) et intellectualem (§. 30.) vtilior est analytica. Hinc *sit in omni cognitione philosophica, et hinc etiam a priori*

priori methodus synthetica potius quam analytica: et quum accuratior praestet minus accuratae, vt potest, *mathematica* (§. 507.).

§. 511. METHODVS in forma syllogistica (§. 423.), seu syllogismos sine omni crypsi et saltu concatenans, est SYLLOGISTICA *. Methodus mathematica non est necessario syllogistica (§. 507. 423. 424. 435.).

* *die schliessende Lehrart.*

§. 512. METHODVS cognoscenda secundum quatuor vel quinque caussarum genera, vt potest, ordinans (§. 155.), CAVSSALIS est: nec synthetica nec analytica (§. 505.): hinc non philosophica (§ 504.). METHODVS cognoscenda secundum tabellam ordinans (§. 205.), TABELLARIS est: quae quum synthetica et analytica esse possit (§. 205. 505) etiam philosophica, immo scientifica (§. 504), et ad cognitionem intellectualem promouendam pluribus modis vtilis esse potest (§. 205.).

§. 513. Propositio ex characteribus veritatis internis cognoscibilis DOGMA * dicitur (§. 477.): vnde omnis propositio communis dogma est (§. 220. 482.). Complexus dogmatum eiusdem subiecti aut obiecti DOCTRINA ** est: quae si methodice proponitur, in formam DISCIPLINAE *** redigitur. Disciplina demonstra-

ta

ta ſit SCIENTIA **** (obiectiue ſumta §. 32.). Complexus doctrinarum ad vnum totum connexarum SYSTEMA ***** eſt.

* *eine Lehr- Wahrheit, oder ein gemeiner Satz,* ** *eine Lehre,* *** *eine Diſciplin, oder ordentlich vorgetragene Lehre,* **** *eine Wiſſenſchaft,* ***** *ein Lehrgebaeude.*

§. 514. *Claritas* in cognitione a priori eſt claritas in cognitione per ratiocinium aut ratiocinia (§. 474.): hinc ex claritate materiali et formali compoſita, ac vtraque abſoluitur (§. 304.): illa reflectendo circa partes eiusdem, hinc reſolutione ſeu analyſi cognitionis in ſuas partes, et attendendo ac reflectendo ad ſingulas (§. 119. 110.): haec analyſi ratiociniorum in eadem contentorum (§. 436. 437.), et comparatione cum regulis ſyllogiſticis (§. 305.), obtinenda.

§. 515. MEDITARI * *latius* eſt ad ſucceſſiuam partium alicuius cognitionis cogitationem in ſe producendam agere: hinc reflectendo circa aliquod obiectum abſoluitur (§. 16.). *Strictius* eſt partes alicuius cognitionis methodice cogitare: et MEDITATIO *ſtrictius* ** eſt methodica rei cogitatio: hinc vel communis, vel philoſophica (§. 504.), et, ſi philoſophica ſit, vel ſynthetica, vel analytica (§. 505.), et mathematica aut non mathematica (§. 507.).

* *einer Sache ueberhaupt naehdenken,* ** *das genauere Nachdenken, oder Meditiren.*

§. 516. Meditando cogitantur partes cognitionis, et methodice (§. 515.). Hinc claritas in cognitione promouetur etiam a priori (§. 514.).

§. 517. Quidquid a priori cognoſcitur, cognoſcitur per probationem (§. 475.). PROBATIO, qua data nihil amplius requiritur ad certitudinem concluſionis ex praemiſſis nanciſcendam eſt SVFFICIENS *, et DEMONSTRATIO LATIVS DICTA (§. 248.) **; non ſufficiens eſt INSVFFICIENS ***.

* *ein zulaenglicher Beweis,* ** *ein Erweis in weiterer Bedeutung,* *** *ein unzulaenglicher Beweis.*

§. 518. Quidquid a priori cognoſcitur per probationem cognoſcitur, vel ſufficientem vel inſufficientem (§. 517.): prout principia, ex quibus cognoſcitur, vel certa vel incerta ſunt (§. 304.). Aut ſunt definitiones (§. 479.), aut alia cum cognoſcendo connexa iudicia (§. 478.). Illae ſemper ſunt principia certa (§. 255.): et hinc quidquid ex illis legitime cognoſcitur, per probationem ſufficientem et cum certitudine cognoſcitur. At haec poſſunt eſſe certa et incerta. Hinc ex illis poteſt cognoſci per probationem ſufficientem cum certitudine, et inſufficientem cum pro-

probabilitate tantum (§. 20.): et *cognitio a priori potest esse certa et probabilis tantum.*

§. 519. Cognitio a priori certa (§. 518.) vel est moraliter, vel mathematice certa (§. 19.): prout per principia, ex quibus cognoscitur, oppositum cognoscendi est absolute aut hypothetice tantum impossibile (§. eod.). Probatio sufficiens ad certitudinem conclusionis mathematicam est DEMONSTRATIO STRICTE DICTA (mathematica, geometrica, rigorosa §. 33.) *; ad moralem sufficiens *latius* est (§. 517.).

* *ein Erweis in engerer Bedeutung.*

§. 520. Demonstratio stricte dicta est probatio ad certitudinem conclusionis mathematicam sufficiens (§. 519.). At certitudo conclusionis sequitur certitudinem praemissarum et consequentiae (§. 304.). Hinc *in demonstratione stricta omnes praemissae sint mathematice certae.* At tales sunt tantum vel indemonstrabiles (§. 249.), vel demonstratiuae stricte demonstratae (§. 519. 249.), hinc syllogismis concatenatis tandem ex indemonstrabilibus deductae (§. 414.). Ergo *omnis prosyllogismus demonstrationis stricte dictae, qui non est simul episyllogismus, constat praemissis indemonstrabilibus* (§. 415.).

§. 521. Praemissae demonstrationis stricte dictae sunt tantum vel indemonstrabiles vel stricte demonstratae (§. 520.): hinc

hinc iudicia intuitiua (§. 471.), legitime inde deducta vniuersalia (§. 453. 459), et experientiae latius dictae (§. 473.), axiomata et postulata (§. 250.), etiam secundaria (§. 491.), definitiones applicantes (§. 255.), propositiones iam ante, aut in alia veritatum serie stricte demonstratae, lemmata (§. 258.). In qua probatione vel vna praemissa falsa aut quocunque significatu incerta, vel vna falsa aut quocunque significatu incerta est consequentia, illa non est demonstratio stricte dicta (§. 520.).

§. 522. Demonstratio stricte dicta potest habere praemissas, quae experientiae sunt (§. 521.). At in cognitione a priori nulla praemissa est experientia (§. 442. 474). Demonstratio stricte dicta, cuius nulla praemissa experientia est, est DEMONSTRATIO STRICTIVS DICTA * (mathematica, geometrica et rigorosa strictius §. 519): ad certitudinem conclusionis mathematicam logicam (§. 18), seu per rationem solam directa (§. 474). Hinc cognitio a priori mathematice certa per demonstrationem strictius dictam producitur: et hinc patet, quomodo, quae a posteriori certitudine physica et completa cognoscuntur (§. 18. 19), tamen per demonstrationem cognosci negentur.

* *ein Erweis in der engsten Bedeutung.*

§. 523.

§. 523. Omnis DEMONSTRATIO ſtricte dicta, hinc etiam ſtrictius dicta (§. 522), habet praemiſſas tandem indemonſtrabiles (§. 520). Ad illas explicite progrediens CONSVMMATA * eſt. Sed poteſt, ſalua certitudine per illam producenda, ſaepisſime non conſummari: praeſertim ſi praemiſſae ante demonſtratae demonſtratione conſummata demonſtratae fuerint.

* *ein zu Ende gebrachter Erweis.*

§. 524. Omnis demonſtratio ſtricte dicta, hinc etiam ſtrictius dicta (§. 522.), eſt probatio (§. 519.): vel ſimplex vel compoſita (§. 413.). Si eſt compoſita: eſt polyſyllogiſtica, et conſtat ſyllogismis concatenatis (§. 414.): vel omnibus formalibus, vel enthymematibus (§. 423.). Non neceſſe eſt, vt omnis *demonſtratio ſtricte dicta* in forma ſyllogiſtica (§. 511.); ſed *poteſt enthymematica eſſe*, et per ſoritem formari (§. 424.).

§. 525. DEMONSTRATIO ſtricte et ſtrictius dicta, ſi compoſita eſt, polyſyllogiſtica eſt (§. 524.). Si nullus proſyllogismus omittitur, eſt COMPLETA *: vel *explicite* vel *implicite* completa. Datur ſaltus in probando legitimus (§. 435.). Hinc *non neceſſe eſt, vt omnis demonſtratio ſtricte aut ſtrictius dicta completa ſit explicite.*

At caueatur saltus illegitimus (§. 435.), demonstrationem incompletam reddens.

* *ein volstaendiger Erweis.*

§. 526. Omnis demonstratio est probatio (§. 517.): omnis probatio vero est ratiocinatio eo directa, vt conclusio distincte ex praemissis pro vera cognoscatur (§. 303.). Iam duplex datur modus veritatem propositionis cognoscendi, vnus ex praemissis illam inferentibus (§. 298.), et alter ex falsitate propositionis contradictoriae (§. 270.): hinc duplex etiam probandi modus. PROBATIO conclusionis ex praemissis illam inferentibus est DIRECTA (ostensiua) *; ex falsitate contradictoriae vero INDIRECTA (per indirectum, apogogica, deductio ad absurdum aut incommodum) **. Illa immediata, haec mediata est. Hinc etiam *demonstratio vel directa vel indirecta est.*

* *ein unmittelbarer oder gerade zu gefuehrter,*
** *ein mittelbarer Beweis.*

§. 527. Demonstratio indirecta demonstrat falsitatem propositionis demonstrandae contradictorie oppositae (§. 526.). At falsa est propositio, si vel habet conceptum respondentem falsum, hinc impossibilem (§. 263. 88.), vel tollit alias propositiones veras (§. 95.), vel posita eadem ponendae sunt falsae ex illa sequentes (§. 95. 298.). Hinc demonstratio indirecta habet

habet praemiſſas primum aut alterum aut tertium de concluſione inferentes.

§. 528. Omnis demonſtratio eſt probatio ſufficiens (§. 517.). Quae ponimus nullo requiſito ad veritatem cognito, ſunt PRECARIA *: ab illis, quae ponimus nullo requiſito ad veritatem pro nunc et ſic addito, hoc eſt SVMIMVS **, diſtinguenda. Hinc *in nulla demonſtratione ſint precaria.*

* *erbettelte Saetze.* ** *das nehmen wir an.*

§. 529. Omnis demonſtratio ſtricte, hinc etiam ſtrictius dicta (§. 522.), eſt probatio ad certitudinem concluſionis mathematicam ſufficiens (§. 519.): hinc ad illius *ſcientiam* (§. 32.). Hinc *quidquid ſtricte et ſtrictius demonſtrare poſſumus, illud ſcimus*: et omnis diſciplina, vt ſcientia fiat, ſtricte demonſtranda eſt (§. 513.).

§. 530. Quidquid cognoſcitur diſtincte ex certis, cognoſcitur cum EVIDENTIA *. *Quidquid per demonſtrationem ſtricte et ſtrictius dictam cognoſcitur, cognoſcitur* per probationem (§. 519.), hinc diſtincte (§. 303.), et per probationem ex certis (§. 520.): hinc *cum euidentia* (§. 33.).

* *als voellig ausgemacht.*

§. 531. Aſſenſus nobis incerto datus eſt OPINIO *: vel vera, vel falſa; ſi vt certa ponatur, PERSVASIO MALA **, non cum perſuaſione, certitudine ſenſitiua,

 con-

confundenda. Cognitio a priori poteſt eſſe probabilis tantum (§. 518.): hinc opinio (§. 20.). At *quidquid per demonſtrationem ſtricte et ſtrictius dictam cognoſcitur, numquam eſt opinio* (§. 529. 530.): nec demonſtrationem ingrediuntur opiniones vt praemiſſae (§. 517. 520.).

* *eine Meinung,* ** *eine ueble Veberredung.*

§. 532. PRAECIPITANTIA IN IVDICANDO * eſt habitus aſſentiendi non ponderatis ad veritatem requiſitis. Iudicium erroneum per praecipitantium latum eſt PRAEIVDICIVM **: hinc falſa opinio (§. 531.): et nullum per demonſtrationem cognitum eſt praeiudicium (§. eod.): nec praeiudicia ingrediuntur demonſtrationem (§. eod.).

* *die Vebereilung im Vrtheilen,* ** *ein Vorurtheil.*

§. 533. Opinio, ex qua phaenomena ſeu per ſenſum clara poſſunt a priori cognoſci, eſt HYPOTHESIS PHILOSOPHICA *: diſtinguenda ab HYPOTHESI **, propoſitione per arbitrariam hominum determinationem vera.

* *eine gelehrte Meinung, oder eine Grundmeinung,* ** *ein wilkuerlich angenommener Satz.*

§. 534. PHAENOMENA, quae ex HYPOTHESI PHILOSOPHICA patent a priori, CVM EA CONVENIVNT *; quorum inde fluit contradictorium, HYPOTHESI

THESI PHILOSOPHICAE REPVGNANT **. Iam, quum hypothesis, cum qua omnia phaenomena, in quorum gratiam adoptata est, conueniunt, vera sit (§. 533.): quo plura cum eadem conueniunt, hoc erit probabilior (§. 20.).

* *dieselben stimmen mit einer gelehrten Meinung uebereins* ** *solche streiten mit derselben.*

* §. 535. Vel vnicum phaenomenon, si repugnat hypothesi philosophicae (§. 534.), est illud verum (§. 533. 465.): hinc contradictorium eius falsum (§. 270.): ergo et huius antecedens (§. 371.), hypothesis philosophica (§. 533. 234.).

§. 536. Ex demonstratione stricte et strictius dicta omnis exsulat opinio (§. 531.): hinc etiam hypothesis philosophica (§. 533.). At potest, quod nobis opinio est, ab aliis demonstrari, hinc sciri (§. 529.), et a nobis ipsis alio tempore: et tunc demonstrationem ingredi (§. 520.).

CAPVT III.

MARTYROCRITICA, SEV DE COGNITIONE PER TESTIMONIVM.

1) *de cognitione per testimonium et fidem in se* §. 537 549. 2) *de eadem perficienda a) extensiue* §. 550. *b) intensiue, qua veritatem* §. 551-560. *qua claritatem* §. 561. *qua certitudinem* §. 562-584.

§. 537.

TESTIMONIVM * *latius* est assensus declaratus, vt alter idem ponat; *strictius* adsertio rei facti vt ab altero credatur, facta. Auctor testimonii TESTIS **; assensus propter testimonium FIDES ***; et fide assentiri CREDERE **** est. Quod si fit ex rationibus ad credendum sufficientibus FIDES RATIONALIS (§. 26.) et OCVLATA *****; si non, COECA ****** est.

* *ein Zeugnis,* ** *der Zeuge,* *** *der Glaube,* **** *glauben,* ***** *ein vernuenftiger und sehender,* ****** *ein blinder Glaube.*

§. 538. Testis vel deus vel homo, hinc testimonium vel *diuinum* vel *humanum*, et fides vel diuina vel humana est (§. 537.). Cognosco multa per testimonium strictins dictum (§. 537.) etiam humanum

manum (§. 10.): nonnulla confuse, nonnulla distincte (§. 14.): vel fide coeca vel fide rationali (§. 537.). Scientia cognoscendi per testimonium strictius dictum, praesertim humanum, fide rationali est MARTYROCRITICA *: quum cognitio per testimonium distincta, hinc intellectualis esse possit (§. 30.), ac praeter ea in nostra intellectuali a posteriori multa per experientiam aliorum, hinc testimonium, cognoscenda sint (§. 439. 442.), disciplina logica (§. 42. 46.).

* *die Wissenschaft vernuenftig zu glauben.*

§. 539. Quidquid credimus, pro vero habemus propter testimonium (§. 537.), hinc propter assensum ab altero declaratum (§. eod.). At assensus alterius non est ratio sufficiens ad credendum, nisi possit supponi, alterum non posse errare in assensu, hinc pro vero habere, quod non sit (§. 13.). Iam non sunt, circa quae homo non posset errare, nisi iudicia sensuum (§. 465. 468.), hinc nisi experientiae strictius dictae (§. 440.). Ergo *fide humana* (§. 538.) *rationali* (§. 537.) *nihil potest cognosci, nisi quod testis expertus est strictius.*

§. 540. Fide humana rationali nihil potest cognosci, nisi quod testis expertus est strictius (§. 539.): hinc nisi ab alio sensum (§. 439.). Hinc omne testimonium humanum fide dignum rem sensam reprae-

praesentat: hinc rem, quae exstitit, aut adhuc existit (§. 446.): hinc rem facti: praeteritam aut praesentem: vel alius temporis vel alius loci: nullam futuram. Hinc *omne testimonium humanum fide dignum est testimonium strictius* (§. 537.): et fide humana rationali non cognoscitur, nisi testimonium strictius: rem facti aut praeteritam aut praesentem adserens.

§. 541. Omne testimonium humanum fide dignum repraesentat rem sensam (§. 540.), et iudicium intuitiuum (§. 539.): hinc affirmans (§. 446.), et singulare (§. 447.). Hinc fide humana rationali *nullum potest cognosci iudicium commune*, hinc nullum dogma (§. 513.), sed non nisi singulare, nec accurate vllum negatiuum.

§. 542. Omne testimonium humanum fide dignam repraesentat rem sensam (§. 540.): hinc modum aut relationem(§.448.). Hinc *fide humana rationali nec essentia, nec essentiale, nec attributum cognoscitur* (§. 171.).

§. 543. Fide humana rationali non potest cognosci, nisi quod testis expertus est strictius (§. 539.): hinc experientia alterius, seu aliena. Hinc *quae fide cognoscuntur, cognoscuntur a posteriori* (§. 442.).

§. 544. Quidquid fide cognoscitur humana rationali, cognoscitur ex experientia aliena, et a posteriori (§. 543.): hinc *ex charactere veritatis externo* (§. 477.).

§. 545.

§. 545. Fide humana rationali non cognoſcitur niſi res facti (§. 540.), et ens ſingulare (§. 541.), vel modus vel relatio (§. 542.): et quidem a poſteriori (§. 543.). A priori non cognoſcitur niſi iudicium commune (§. 482.), nullum ſingulare (§. 483.): et non niſi aut eſſentia, aut eſſentiale, aut attributum, nullus modus eſt nulla relatio (§. 481.). Ergo *omnis res facti, non a nobis ipſis ſenſa, et omnis modus et relatio, quam non ipſi experti ſumus, non cognoſcitur a nobis niſi per teſtimonium et fide.*

§. 546. HISTORIA * eſt rei ſingularis praeteritae illuſtratio (§. 119.), ſeu vberior narratio (§. 12.); auctor hiſtoriae HISTORICVS **. Ergo omnis hiſtoria, cuius obiectum non ipſi experti ſumus, per teſtimonium fide cognoſcenda, et omnis hiſtoricus teſtis eſt (§. 537.).

* *eine Geſchichte,* ** *ein Geſchicht-Erzaehler oder Schreiber.*

§. 547. Omne teſtimonium humanum fide dignum repraeſentat experientiam ſtrictius dictam, iudicium intuitiuum (§. 539.), hinc affirmans et ſingulare (§. 540.), aut modum aut relationem repraeſentans (§. 541.). At poſſunt ex iudiciis intuitiuis inferri vera negatiua (§. 452.), communia et vniuerſalia (§. 453.), et eſſentiam, eſſentialia et attributa repraeſentantia (§. 454-457.). Hinc *ex teſtimoniis quoque poſſunt inferri*

ferri vera negatiua, *communia et vniuersalia*, *et essentiam*, *essentialia et attributa repraesentantia:* et quum testis ipse talia formare potuit legitime ex suis intuitiuis, quomodo et quatenus talia etiam fide cognosci possint (§. 537.), patet. At caueatur vitium subreptionis (§. 451.): tum a credente, tum a teste.

§. 548. Testimonium humanum fide dignum repraesentat iudicium intuitiuum (§. 539.): hinc etiam nullam caussam (§. 450.): hinc non dat nisi cognitionem historicam (§. 26.). At *possunt* ex intuitiuis *cognosci* legitime *rerum caussae* iudicio discursiuo (§. 460.). Hinc etiam *ex testimoniis*, et quatenus testis tales legitime ex suis intuitiuis cognouit, fide (§. 537.): hinc cognitio per testimonium potest fieri philosophica (§. 26.). At iterum caueatur vitium subreptionis (§. 451.).

§. 549. HISTORIA PRAGMATICA * est foecunda porismatibus, seu consectariis practicis inde deducendis. At fit illis eo foecundior, si caussas et euentus rerum narratarum repraesentat. Quod quum ab historico fieri possit ex intuitiuis legitime (§. 548.): quomodo historia pragmatica et historicus pragmaticus fide dignus possibiles sint, patet.

* *eine pragmatische Geschichte.*

§. 550.

§. 550. Itur ad copiam cognitionis per teſtimonium copia experientiae alienae (§. 543.): hinc multum multasque res facti teſtantes (§. 540.), hinc etiam hiſtorias et hiſtoricos (§. 546.) audiendo et legendo. Et quo vberior fit noſtra cognitio per teſtimonium, eo vberior fit noſtra cognitio a poſteriori (§. 543.): etiam iudiciis negatiuis, communibus et vniuerſalibus, eſſentias, eſſentialia, et attributa, nec non cauſſas rerum repraeſentantibus, ex teſtimoniis legitime formandis, (§. 547. 548.), hiſtoriisque pragmaticis (§. 549.) amplificanda (§. 442.), adeoque ad demonſtrationes latius et ſtricte dictas quoque apta reddenda (§. 521.).

§. 551. Cognitio per teſtimonium vera eſt, ſi teſtimonium verum eſt (§. 537.): hinc per teſtimonium ſtrictius dictum humanum, ſi, quae in eodem adſeruntur, res facti vere exſtiterunt aut adhuc exiſtunt (§. 540.). Ergo fide humana rationali non cognoſcuntur niſi, quae exſtiterunt aut adhuc exiſtunt (§. 537.).

§. 552. Omne teſtimonium humanum verum quae exſtiterunt, aut adhuc exiſtunt, repraeſentat (§. 551.). Abſolute impoſſibilia non poſſunt exiſtere, et in nexu ſeu hypothetice impoſſibilia non poſſunt in eodem nexu exiſtere, in quo impoſſibilia ſunt. Ergo nullum teſtimonium verum

eſt

est absolute aut in nexu, in quo aliquid testatur, impossibile repraesentans: et *impossibilia sunt incredibilia* (§. 551. 537.).

§. 553. Cognitio per testimonium vera est, si testimonium verum est (§. 537.): hinc per testimonium humanum strictius, si res quam testatur, vere sensa (§. 539.); hinc si testis, quae testatur, vere expertus est (§. eod.). TESTIS rem, quam testatur, ipsam expertus, est OCVLATVS *; expertus tantum testimonium de eadem est AVRITVS **.

* *ein Augen - ** ein Ohren-Zeuge, oder der es von andern hat.*

§. 554. DEXTERITAS TESTIS * est sufficientia virium eius; SINCERITAS ** propensio eius ad testimonium verum proponendum. Iam, vt testimonium verum sit, requiritur tum vt testis verum testari potuerit, tum vt voluerit. Ergo *ad testimonium verum requiritur tum dexteritas tum sinceritas testis*: ergo etiam ad fidem veram (§. 551.).

* *die Geschickligkeit oder Tuechtigkeit des Zeugen, ** die Aufrichtigkeit des Zeugen.*

§. 555. Ad testimonium verum requiritur dexteritas testis (§. 554.). Haec est sufficientia virium testis ad verum testimonium (§. eod.). At non vera testari potest homo, nisi, quae testatur, vere experiri (§. 539.), et sicut expertus est, proponere

nere potuerit (§. 537.). Hinc ad dexteritatem testis requiritur, vt 1) rei, quam testatur, praesens fuerit, hinc rem sui temporis et loci testetur: 2) facultate polluerit, rem, quam testatur, rite experiendi: hinc facultate eandem rite sentiendi et attendendi et reflectendi (§. 112.), vitiumque subreptionis cauendi (§. 451.); 3) rem, quam testatur, sicut sensit, reproducere potuerit: hinc vel eius memoriam recentem et fidam habuerit, vel saepius, vti senserat, reproduxerit, vel non memoriae suae soli fisus scripserit (§. 85), et 4) facultate rem, quam expertus est, sicut expertus est, rite et perspicue proponendi polluerit (§. 105. 146.). Hinc eadem ad testimonium humanum verum requiruntur.

§. 556. Ad testimonium verum requiritur sinceritas testis (§. 554.). Haec est voluntas vera testandi (§. eod.). At voluntas sequitur motiua. Hinc ad sinceritatem testis requiritur, vt bonum, aut saltim malo maius, in testimonio vero, et malum, aut saltim bono maius, in falso intuitus sit: hinc etiam ad testimonium verum.

§. 557. Testis oculatus rem ipsam, auritus testimonium de eadem expertus est (§. 553.). Hinc ille rem ipsam; hic testimonium de eadem testatur. In vtroque §. 555 et 556. enumerata, vt testimonium

Digitized by Google

eius verum ſit, requiruntur (§. 554.): in illo ad verum de re ipſa, in hoc ad verum de teſtimonio illius teſtimonium.

§. 558. Teſtimonium humanum verum eſt, ſi res, quam teſtatur, vere ſenſa fuerit (§. 539.): Hinc omne teſtimonium humanum verum habet teſtem oculatum (§. 553.). Hinc teſtium auritorum ſeries, et ſi longiſſima ſit, ſupponit oculatum: et teſtis auritus non teſtatur rem ipſam, niſi quatenus teſtimonium teſtis oculati de eadem teſtatur (§. 557.): ac tum demum vere, ſi teſtimonium oculati dexteri ac ſinceri (§. 554.), vere teſtatur (§. 557.).

§. 559. RVMOR SINE CAPITE * eſt teſtimonium plurium auritorum teſtium incognito oculato: vel ſimultaneorum FAMA ** vel ſucceſſiuorum TRADITIO ***. Quum nulla adſit ratio ſufficiens credendi ſine teſtis oculati dexteritate ac ſinceritate explorata (§. 558. 554.), rumor ſine capite non creditur fide rationali (§. 557.).

* *eine nur auf Hoerſagen gegruendete Sage,* ** *ein oeffentliches Geruecht,* *** *eine Ueberlieferung.*

§. 560. **In ſucceſſione teſtium auritorum cuiusuis dexteritas ſinceritasque nihil addit ad dexteritatem ſinceritatemque teſtis oculati: hinc ad veritatem teſtimonii de re ipſa (§. 557. 558.).**

§. 561.

§. 561. *Claritas* in cognitione per testimonium humanum est claritas in cognitione iudicii intuitiui alieni (§. 543.): hinc sicut claritas in cognitione iudicii intuitiui in genere, analysi eiusdem obtinenda (§ 470.).

§. 562. Cognitio per testimonium vera est, si testimonium, ex quo cognoscitur, verum est (§. 537.): hinc *certa*, aut probabilis, aut dubia, aut improbabilis (§. 17. 20.), si testimonium, ex quo cognoscitur, certum, aut probabile, aut dubium, aut improbabile est: hinc si rei, quam testatur, interna et externa possibilitas (§. 552.), et testis eamdem testantis dexteritas ac sinceritas (§. 554.) certae aut probabiles, aut dubiae aut improbabiles sunt.

§. 563. Testimonium certum nobis est, si veritatis illius sine oppositi formidine conscii scimus (§. 17.): hinc si notas ad veritatem illius appercipiendam sufficientes cognoscimus (§. 97.): hinc notas tum possibilitatis internae et externae rei testimonio affirmatae, tum dexteritatis ac sinceritatis testis sufficientes (§. 562.).

§. 564. Ad testimonium nobis certum requiruntur notae possibilitatis rei internae et externae sufficientes (§. 563.). Illae in rei ex testimonio cognoscendae conceptu continentur (§. 87.), et secundum regulas possibilitatem conceptus combina-

tii inuestigandi cognoscuntur (§. 92-95.); hae in rebus cum cognoscenda connexis contentae non sine sufficienti nexus, in quo cognoscenda exstitit aut existit (§. 540.), etiam per testimonia obtinenda; cognitione cognoscuntur.

§. 565. Ad testimonium nobis certum requiruntur notae dexteritatis testis sufficientes (§. 563.). Tales sunt, vt coaeuus et compraesens fuerit, mentem sanam organaque sensoria sana habuerit, a praeiudiciis rei sentiendae aut vitio subreptionis fauentibus liber fuerit, motiua ad bene attendendum, reflectendum, ac sensa memoriae mandandum, occasiones quoque eadem ex recenti memoria reproducendi habuerit, recenter gesta aut immediate post factum saepius reproducta aut scripta narret etc. (§. 555.). Quo pauciores nouit testis praemissas discursiuas ad vitium subreptionis committendum cum intuitiuis connectendas (§. 451.); quo alienior fuit a senso exspectando, quo pluries idem sensit, et sensum reproduxit; quo plura et maiora ad attendendum, reflectendum ac memoriae mandandum motiua habuit: eo plures adsunt dexteritatis eiusdem notae sufficientes (§. eod.).

§. 566. Vt testimonium nobis certum sit, requiruntur notae sinceritatis testis sufficientes (§. 563.). Tales sunt, vt

vir

vir bonus falsiloquium auerſans, aut ad fingendum mentiendumque inhabilis fuerit, aut nulla motiua ſed ad vera teſtandum habuerit, ſimpliciter iudicia intuitiua ſine aſſenſus producendi affectatione, tempore et loco, quo res geſtae ſunt, narret, nec ſuo ſuorumue honori detrahentia taceat, etiam ſub malis per teſtimonium contractis idem continuarit, etc. (§. 556.). Quo melior et religioſior fuit, teſtis, quo peius mendacium, quo ad fingendum fallendumque incapacior, quo a partium ſtudio alienior, quo minus ipſi bona ex falſo teſtimonio exſpectare potuit, quo plura et fortiora habuit motiua verum teſtandi, etiam mala propter verum tolerandi, et quo maiora, quo conſtantius tolerauit, quo recentiora narrauit, quo ſolemnius etc. eo plures adſunt ſinceritatis eiusdem notae ſufficientes (§. eod.).

§. 567. Teſtimonium inimici, vel hoſtis pro aliquo, amici vere talis contra aliquem habet notas ſinceritatis (§. 554.).

§. 568. Coaeuorum magis ſuſpecta eſt ſinceritas, recentiorum dexteritas (§. 555. 556.).

§. 569. Qui vera teſtari poteſt et decernit, certo vera teſtatur. Hinc dexteritas et ſinceritas teſtis ſunt requiſita ad veritatem teſtimonii (§. 554.), ſed ſufficientia. His ergo certis naſcitur certitudo

 (§. 563.),

(§. 563.), historica (§. 18.), non mathematica quidem, sed moralis (§. 19.), testimonia etiam ad praemissas demonstrationum apta reddens (§. 521.); his probabilibus, probabilitas testimonii (§. 563. 20.): et testimonium certae vel probabilis fidei, hoc est, cuius auctorem dextrum et sincerum satis ad rem testandam fuisse nobis vel certum vel probabile est, FIDE DIGNVM *; testimoniis fide dignis vero non credens est INCREDVLVS **.

* *ein glaubwuerdig Zeugnis.* ** *unglaeubig.*

§. 570. AVCTORITAS * est honor, quo alter sequendus indicatur. Hinc TESTIS HABET AVCTORITATEM **, si testimonium eius assensu nostro sequendum est: hinc si fide dignum est (§. 537.). At est tale, si dexteritas et sinceritas testis certae aut saltim probabiles sunt (§. 569.). Ergo omnis testis dexteritatis et sinceritatis vel certae vel probabilis habet auctoritatem; oculatus respectu rei, auritus respectu testimonii (§. 557. 558.): et testibus auctoritatem habentibus non credens incredulus est (§. 569.).

* *das Ansehn,* ** *ein Zeuge ist ein Zeuge von Ansehn.*

§. 571. Testimoniis dubiis aut improbabilibus credens est CREDVLVS *. Ergo

go inter credulitatem et incredulitatem datur tertium (§. 569. 570.).

* *leichtglaubig.*

§. 572. Res aliunde etiam, quam ex testimonio certa vel probabilis est IN SE CREDIBILIS *; aliunde autem dubia, aut improbabilis est IN SE INCREDIBILIS **. Res facti, cuius rationata adhuc existunt, et sentiuntur, magnum habet credibilitatis, cuius nulla exstiterunt rationata, quum potuissent ac debuissent, incredibilitatis gradum.

* *glaublich.* ** *unglaublich.*

§. 573. Rem aliunde certae falsitatis credere est credulitas (§. 571.). Ergo nihil credens contra rationem scientem (§. 529.), vel experientiam stricte dictam (§. 465.) non est ideo incredulus (§. 552.).

§. 574. Et vnicus testis oculatus (§. 553.), cuius dexteritas ac sinceritas certae vel probabiles sunt, habet auctoritatem (§. 570.): hinc ipsi non credere est incredulitas (§. 569.). At si plures dexteritatis sinceritatisque vel certae vel probabiles idem testantur, nascitur certitudo historica et moralis maior: et non credere est incredulitas in plures auctoritates iniqua (§. 570.).

§. 575. Auctoritas testis auriti non ad rem ipsam pertinet, nisi quatenus ad testimonium testis oculati de eadem pertinet (§. 558.).

(§. 558.). Hinc numerus testium auritorum non nisi testimonium vnius eiusdemque oculati testantium, nihil addit ad certitudinem historicam rei (§. 574.), sed tamen, si auctoritatem habent (§. 570.), testimonii de eadem. In successione auritorum cuiusuis dexteritas sinceritasque suspecta detrahit vel certitudini vel probabilitati testimonii ex iisdem cognoscendi.

§. 576. Testimonium in loco ac tempore, quo res gesta est, assertum et non contradictum valde est probabile, hinc fide dignum (§. 569.); contradictum quidem, sed a testibus oppositi vel non dextris vel non sinceris (§. 570.), non ideo fit improbabile, aut, si reliqua veritatis requisita habet, incertum (§. 569.).

§. 577. Testis potest aliquid tacere, quia 1) non expertus est, factum tamen 2) oblitus est 3) noluit testari. Ergo *a silentio testis ad negationem rei non tuta semper valet consequentia*: eoque minus, quum, cuius et sinceritatis est, ne quid falsi testetur, eius tamen non semper sit, ne quid veri non testetur (§. 554. 556.).

§. 578. Rem interne et externe possibilem (§. 552.), immo in se credibilem (§. 572.), quam testis oculatus fide dignus (§. 569.), et auctoritatem habens (§. 570.), testatur, vel immo plures tales testantur (§. 574.), cuius aut quorum de eadem testimonium

monium ſeries auritorum fide dignorum teſtatur (§. 575.), et non contradictam, aut ſaltim non a teſtibus oppoſiti fide dignis contradictam (§. 576.), immo ab inimicis aut hoſtibus, vt potuit, aſſertam (§. 567.), et ſi a teſtibus alioquin auctoritatem habentibus taceatur (§. 577.) non credere, eſt incredulitas contra omnes martyrocriticae regulas peccans (§. 551-577.): vel ſumma ignorantia, vel contra veritatem obſtinatio. Hinc nullus vir bonus et prudens bona fide profiteri poteſt PYRRHONISMVM HISTORICVM VNIVERSALEM, et quum in quantacunque praeteritorum incertitudine rariſſime et deſint rationes ad fidem probabilem ſufficientes (§. 569.), rariſſime et SPECIALEM, intra dubitationis terminos rationaliter ſubſiſtentem (§. 20.).

§. 579. Teſtimonium latius dictum eſt quiuis, vt alter idem ponat, aſſenſus declaratus (§. 537.): hinc non ad iudicia ſingularia reſtringendum (§. 541.), ſed communia et dogmata etiam extendendum. Poteſt homo et iudicia communia et dogmata vere cum certitudine cognoſcere (§. 475-536.), et hinc, quatenus eius dexteritas ac ſinceritas aliis probata eſt, reſpectu dogmatum et iudiciorum communium auctoritatem habere (§. 570.). Hinc patet, quatenus teſtimonium humanum et

 latius

latius ſumtum verum ac fide dignum eſſe poteſt (§. 569. 540.).

§. 580. Teſtis omniſcius, ſapientiſſimus, optimus eſt dexterrimus ac maxime ſincerus (§. 554.), vel res facti praeteritas aut praeſentes, immo futuras (§. 540.), vel dogmata teſtetur (§. 541.), teſtimonio latius dicto (§. 537.): hinc eius teſtimonium, ſtrictius aut latius tale ſit, fide dignisſimum eſt, (§. 569.): fides diuina rationalis vtrumque credit cum certitudine (§. 538.): et teſtimonio, quod agnoſcit diuinum, non credens, eſt incredulus (§. 569.). At teſtatum eſſe deum hoc vel illud, res facti eſt, per teſtimonium fide rationali cognoſcenda (§. 545.), et hoc rumori ſine capite credere eſſet credulitas (§. 571. 559.).

§. 581. Aſſenſus, cuius ratio, ſine qua non, teſtimonium eſt, FIDES PVRA *; quem teſtimonio tribuimus, licet etiam ſine hoc rationem ad aſſenſum ſufficientem habuiſſemus, FIDES MIXTA ** eſt (§. 537.). Si partim creditur aliquid, partim ſentitur, oritur CONNVBIVM FIDEI ET EXPERIENTIAE ***; ſi partim creditur, partim concluditur aliunde, quam ex teſtimonio, oritur CONNVBIVM RATIONIS ET FIDEI ****. Hinc concipitur CONNVBIVM EXPERIENTIAE, RATIONIS, ET FIDEI *****, quotiescunque

que concurrunt ad vnius eiusdemque dandam certitudinem (§. 443.).

* *der reine Glaube*, ** *der vermischte oder bekraeftigende Glaube*, *** *die Vereinbarung des Glaubens und der Erfahrung*, **** *die Vereinbarung des Glaubens und der Vernunft*, ***** *die Vereinbarung der Erfahrung, der Vernunft, und des Glaubens.*

§. 582. Ex testimonio diuino etiam fide pura cognoscitur rationaliter cum certitudine (§. 580. 581.).

§. 583. Si non nisi credenda velimus experiri, vel aliunde quam ex testimoniis deducere; si non nisi aliunde, quam ex testimoniis, deducenda aut experienda velimus credere (§. 545.) CONFVNDITVR FIDES CVM RATIONE VEL EXPERIENTIA * (§. 443.).

* *es geschicht eine Vermengung des Glaubens mit der Vernunft oder Erfahrung.*

§. 584. RATIO FIDEI ET EXPERIENTIAE CONTRADISTINCTA * est complexus iudiciorum sine fide et experientia philosophice cognoscendorum; eorumque certorum complexus est SCIENTIA FIDEI ET EXPERIENTIAE CONTRADISTINCTA ** pura (§. 32.): cuius praemissas nec iudicia intuitiua nec testimonia ingrediuntur (§. 442.).

* *die von Erfahrung und Glauben vnterschiedne Vernunft*, ** *die reine Wissenschaft.*

CAPVT



CAPVT IIII.

HERMENEVTICA.

1) de sensu interpretando, hermeneuticae obiecto §. 585-595. *2) hermeneutica ipsa a) qua sensum cognoscendum* §. 596-649. (1) *regulae generaliores* §. 596-607. (2) *specialiores* §. 608-649. *b) qua proponendum* §. 650-655. *3) appendix* §. 656. 657.

§. 585.

ORATIO * est series vocabulorum repraesentationes connexas significantium (§. 127. 128.): et series repraesentationum, quam proponens vocabulis significatum iuit, est SENSVS ORATIONIS ** (§. 105). Sensum ex oratione cognoscens illam INTELLIGIT *** (§. 133.). Sensum ex oratione cognoscens proponensque est INTERPRES **** *latius*; eumdem philosophice cognoscens ex oratione proponensque est interpres *strictius* (§ 26.). Complexus regularum interpretandi est HERMENEVTICA *****: et quatenus regulas interpretandae orationis cuiuscunque docet, GENERALIS, † ab VNIVERSALI †† tamen, quae signorum interpretandorum in

in genere eſt, diſtinguenda: quum et quatenus oratione aliorum, eiusque interpretatione, cognitio intellectualis extendenda ac intendenda eſt (§. 24.), diſciplina logica (§. 42. 46.): hinc ſcientia (§. 42.) et demonſtranda (§. 33.).

* *eine Rede,* ** *der Sinn einer Rede,* *** *der verſteht eine Rede,* **** *der legt eine Rede aus,* ***** *die Auslegungs-Kunſt oder Auslegungs-Wiſſenſchaft* † *die algemeine,* †† *die ganz algemeine Auslegungs-Kunſt*

§. 586. Senſus orationis eſt ſeries repraeſentationum a proponente vocabulis ſignificata (§. 585.): haec ſi ſignificatum ſuum proprium retinent, PROPRIVS (ſenſus litterae) *; ſi non, IMPROPRIVS ſ. TROPICVS ** (§. 129. 130.): ex vocabulis ſolis cognoſcibilis IMMEDIATVS ***; cum immediato connexus MEDIATVS ****: per vocabula (immediate aut mediate) ſignificatus LITTERALIS (logicus, verbalis) *****; per litteralem ſignificatus MYSTICVS (realis) ******: mediati ſpecies.

* *ein eigentlicher Sinn oder Sinn des Buchſtabens,* ** *ein vneigentlicher oder figuerlicher,* *** *der vnmittelbare,* **** *der mittelbare* ***** *der buchſtaebliche oder der Wort-Verſtand,* ****** *der geheime oder der Sach-Verſtand.*

§. 587. Senſus orationis eſt ſeries repraeſentationum a proponente vocabulis ſignificata (§. 585.): hinc cognitio a proponente

ponente significata (§. 4.): hinc omnium cognitionis in genere perfectionum et imperfectionum capax (§. 23.). In perfectione cognitionis a proponente significatae, eiusque significationis, consistit PERFECTIO AVCTORIS, QVA AVCTORIS.

§. 588. *Sensus orationis* est sensus, hinc cognitio, proponentis seu auctoris (§. 585. 587.). *Cognitio sensus* * est intelligentis et interpretis (§. 585.): etiam sensus dictus: et generalium cognitionis perfectionum et imperfectionum capax: hinc vel *completa* vel *incompleta* ** vel *vera* vel *falsa*, vel clara vel non clara, vel *certa* vel *probabilis*, vel *dubia* (§. 23. 12. 13. 14. 17. 20.).

* *der Verstand einer Rede, so mit dem Sinne derselben nicht zu verwechseln,* ** *ausfuehrlich vnd volstaendig, oder vnausfuehrlich vnd vnvolstaendig.*

§. 589. Cognitio sensus completa vel incompleta, vera vel falsa, clara vel non clara, certa vel incerta est in intelligente et interprete; non in auctore (§. 588.). Hinc *completio, veritas, claritas, certitudo, probabilitas* etc. *hermeneutica non cum completione, foecunditate, veritate* etc. *sensus orationis ipsius confundendae sunt*: nec ab vna ad alteram valet consequentia.

§. 590. Sensus orationis est series repraesentationum, quam proponens significatum iuit (§. 585.): hinc quae finis auctoris

ctoris fuit. SENSVS nec fini auctoris nec orationi ipsius repugnans est POSSIBILIS *; per finem orationemque ipsius vero sufficienter determinatus est INTENTVS **: solus hermeneutice verus (§. 589.): qui tamen potest esse in se impossibilis (§. eod.).

* *ein moeglicher,* ** *der wuerkliche Sinn.*

§. 591. SENSVS ab auctore intentus est solus hermeneutice verus (§. 590.); isque, quatenus per orationem finemque ipsius sufficienter determinatur, INNATVS (genuinus); non innatus ILLATVS ** est: qui tamen possibilis esse potest (§. 590.).

* *ein in der Rede gegruendeter,* ** *ein in dieselbe getragner Verstand.*

§. 592. ACCOMMODATIO * est series repraesentationum sensui litterali similium, quas tamen auctorem significare voluisse dubium aut improbabile est: hinc non sensus innatus (§. 591.).

* *eine blosse Anspielung.*

§. 593. Interpres sensum ex oratione cognoscit (§. 585.): hinc, ne erret, habeat notas sensus intenti (§. 590.) et innati (§. 591.) sufficientes, et vt sensum philosophice et cum certitudine cognoscat, cognoscat eumdem ex suis notis (§. 26. 17.): in hermeneutica demonstrandis (§. 585.).

§. 594. NECESSITAS HERMENEVTICA est ea vnius in pluribus etiam sensibus

ſibus poſſibilibus (§. 590.), per regulas hermeneuticas facta determinatio, vt iam reliqui omnes pro falſis habendi ſint: vt certitudo hermeneutica obtineatur, neceſſaria (§. 589.), et non niſi a notarum ſenſus intenti ac innati ſufficientium, hinc hermeneuticae, gnaro percipienda (§. 594.).

§. 595. Interpres ſtrictius dictus (§. 585.) indiget notitia hermeneutica (§. 593. 594.). Poteſt aliquis intelligere orationem eadem deſtitutus, ſed non interpretari ſtrictius (§. 585.).

§. 596. AEQVITAS (reuerentia) INTERPRETIS * eſt propenſio ad eam repraeſentationum ſeriem pro ſenſu habendam, quae cum perfectionibus auctoris optime conuenit, donec conſtet contrarium; hinc INIQVITAS INTERPRETIS, (aut irreuerentia) ** propenſio eiusdem repraeſentationum ſeriem cum perfectionibus auctoris diſconuenientium ſine ratione ſufficienti pro ſenſu habendi.

* *die Billigkeit oder Ehrfurcht,* ** *die Vnbilligkeit oder Frechheit des Auslegers.*

§. 597. Proponens mediocriter bonus ac prudens cognitionem dignam, veram, claram, certam aut probabilem tamen, vt poteſt, optime per vocabula ſignificatum it: hinc perfectioni auctoris, vt poteſt, operam dat (§. 587.). Hinc INTERPRES

AEQVVS

AEQVVS ESTO (§. 596.), est primum hermeneutices generalis principium.

§. 598. Perfectio auctoris est per vocabula vere repraesentationes significare: hinc etiam non sonos sine mente proferre (§. 139.). Ergo interpretis est, *vbique sensum* (§. 585.), *et nullos terminos inanes* (§. 139. 140.) *supponere*, donec constet contrarium (§. 597. 598.).

§. 599. Perfectio auctoris est, vnam determinatam per vocabula repraesentationum seriem significare (§. 585.). Ergo interpretis est, *non nisi vnum*, in pluribus sensibus possibilibus, *verum* et intentum *iudicare* (§. 597.).

§. 600. Perfectio auctoris est, nihil omnino indignum aut ad finem superfluum proponere. Ergo interpretis est, totam a proponente significatam repraesentationum seriem *ex oratione cognoscere*: hinc *totum sensum* (§. 597.). Alioquin etiam proponentem non omnino intelligit (§. 585.).

§. 601. Perfectio auctoris est, repraesentationes cum per vocabula significatis interne ac necessario connexas simul significare. Ergo interpretis est, *sensum mediatum pro sensu auctoris habendi* (§. 586.), et vt totum cognoscat, cognoscendi (§. 600.), donec constet contrarium (§. 597.).

§. 602. CONSEQVENTIARIVS * est, ex sensu auctoris immediato mediatum

falſum aut incommodum, vel non cum illo connexum, vel non praeuiſum et ſignificatum, ad odium auctori contrahendum deducens. *Interpres aequus non eſt conſequentiarius* (§. 601. 597.).

* *ein Folgenmacher oder gehaesſiger Folgerer.*

§. 603. Interpretis eſt, totum ſenſum ex oratione cognoſcere (§. 600.), hinc etiam mediatum (§. 601.). Plura ex oratione cognoſcens, quam proponens per eamdem ſignificare voluit, praeter ſenſum cognoſcit, quae non ſenſus ſunt (§. 585.). Hinc *ſenſus hermeneutice verus* nec plus nec minus continet, quam ſenſus auctoris (§. 589.): hinc *ſenſui auctoris adaequatus eſt.*

§. 604. SENSVS ABSVRDVS VEL INCONGRVVS * eſt, qui contradicit propoſitioni ab auctore ponendae: et ille vel ABSOLVTE TALIS **, qui contradicit vel propoſitioni indemonſtrabili aut demonſtrabili (§. 249. 520.), vel experientiae ſtrictius dictae (§. 440.); vel RELATIVE TALIS ***, qui contradicit ab auctore ſaltim, ſi non ab aliis, vel ob ſyſtema, vel ob poſita alio loco, vel ob alias rationes ponendae.

* *ein vngereimter oder vnſchicklicher Sinn,* ** *ueberhaupt,* *** *hier und bei dieſem Verfaſſer.*

§. 605. *Senſus* vtroque modo *abſurdus* vel incongruus (§. 604.) imperfectionem

nem auctoris arguit (§. 587.): hinc *non nisi in necessitate hermeneutica verus iudicandus* (§. 597. 595.): et in pluribus sensibus possibilibus, qui vel nihil vel minimum absurditatis aut incongruentiae continet, hinc et auctoris systemati conuenientissimus (§. 604.), verus iudicandus est, donec constet contrarium (§. 597.). Ex simili ratione sensus methodo conueniens αμεθοδω, pius impio, modestus arroganti, aequus iniquo c. c. praeferendus est ab interprete, donec constet contrarium.

§. 606. Interpretis est, tam relatiue quam absolute absurdum sensum, non nisi in necessitate hermeneutica, verum iudicare (§. 605.): hinc auctorem sibi ipsi contradicentem secum ipso, vt potest, conciliare (§. 604.).

§. 607. Perfectio auctoris est, perspicuum esse: hinc terminis intelligibilibus et claris vti (§. 145.). Ergo interpretis est, *sensum clarum* per vocabula, qua intelligibilia, significatum, et in pluribus possibilibus (§. 590.) clariorem *verum iudicare*, donec constet contrarium (§. 597.).

§. 608. Imperfectio auctoris est, ambiguum esse (§. 590.): hinc perfectio, vt sensus orationis cum certitudine cognoscatur, curare (§. 147.): hinc notis sensus sufficientes suppeditare (§. 593.). Ergo interpretis, qua aequus est, (§. 597.) etiam

est non nisi *sensum* per notas sensus sufficienter determinatum verum iudicare, et in pluribus possibilibus per easdem sufficientius reliquis determinatum: hinc ex suis notis cognoscere: hinc *non inferre, sed eruere* * (§. 591. 593.).

* *aus der Rede herleiten.*

§. 609. Interpretis est, sensum ex oratione auctoris cognoscere et eruere (§. 585-608.): hinc orationem auctoris habere talem, qualis ab auctore profecta est. Textus orationis talis, qualis ab auctore profectus est, GENVINVS (integer) *; non genuinus CORRVPTVS seu ADVLTERATVS ** est. Ergo interpretis est, *ex textu genuino cognoscere.*

* *ein aechter,* ** *ein verfaelschter Text.*

§. 610. CRITICA * est complexus regularum diiudicandi, quae ab auctore orationis in eadem profecta sint, quae minus. Ergo *interpres indiget notitia critica* (§. 609.).

* *die Kritik.*

§. 611. Textus genuinus est, si talis est, qualis ab auctore profectus est (§. 609.): hinc, si scriptus sit, si cum autographo auctoris consentit.

§. 612. VARIANS LECTIO * est quaeuis diuersitas textus in diuersis eiusdem exemplaribus obseruabilis: eaque *immediata*, quae in ipsis textus codicibus deprehenditur, *mediata* vero, quae ex illius vel

ver-

versionibus vel citationibus concluditur. Quum in pluribus variantibus lectionibus non nisi vna genuina esse possit (§. 609.): interpretis est, *variantes textus interpretandi lectiones*, si quae sunt, *conferre*, *et quae genuina sit*, *examinari*.

* *eine abweichende Leseart.*

§. 613. In pluribus variantibus illa genuina est, quae cum autographo auctoris consentit (§. 611.): hinc, si autographon interierit, quam habent codices textus, aut versiones, aut citationes, aetate auctori propiores, accuratiores, plures, maiorem habet auctoritatem, quam quae est in recentioribus, minus accuratis ac paucioribus. Hinc consensu codicum, versionum, citationum aetati auctoris propiorum alicuius lectionis, nititur eiusdem AVCTORITAS *.

* *das Ansehn einer Leseart.*

§. 614. In conuenientia sensus per aliquam textus lectionem significati cum auctoris, qua auctoris, perfectione (§. 587.), consistit lectionis PROBITAS *. Hinc in variantibus, sensum perfectionibus auctoris, qua auctoris, conuenientissimum exhibens, reliquas superat probitate (§. 612.).

* *die innere Guete einer Leseart.*

§. 615. Interpretis est, in variantibus, quae auctoritate ac probitate reliquas superat, genuinam iudicare (§. 611. 597.);

 ve-

verumtamen, ſi non vtraque in lectione coniuncta ſit, auctoritatem habentem praeferre (§. 613. 611.).

§. 616. Interpres ſenſum ex oratione cognoſcit et eruit (§. 608.): hinc ſeriem repraeſentationum ab auctore per *vocabula* ſignificatam (§. 585.): hinc *vocabula auctoris intelligat* (§. 133.). Iam debet ſupponere auctorem perſpicuum, donec conſtet contrarium (§. 597. 607.), hinc in vocabulis ſuis et phraſibus vſum loquendi et inde abſtractas linguae, qua vtitur, regulas ſequentem (§. 146.). Ergo hunc vſum, has regulas, noſſe tenetur *interpres*: hinc *indiget notitia lexica et grammatica linguae auctoris, ſeu autenticae.*

§. 617. Interpretis eſt, vſum loquendi in lingua autentica noſſe (§. 616.). Hic, quum ſit conſenſus in ſignificatu termini (§. 132.), cognoſcitur attentione ad conceptum per terminum ſaepius occurrentem conſtanter aut ordinarie tamen ſignificatum: hinc in lingua viuente attentione ad eumdem in loquendo ſaepius occurrentem, in emortua vero ad loca ſcriptorum ſibi, qua verba, ſimilia.

§. 618. Locus interpretando ſimilis ipſi PARALLELVS dicitur: et PARALLELISMVS * eſt ſimilitudo aliorum locorum cum interpretando. Quae ſi ſit in vocabulis, VERBALIS **; ſi in ſignificatibus aut ſenſu

ſenſu, REALIS ***; ſi in ambobus, MIXTVS ****; ſi in locis eiusdem auctoris, DOMESTICVS *****, ſi in locis aliorum, PEREGRINVS ******, et hic et ille vel PROPIOR vel REMOTIOR eſt *******. Ergo *interpretis eſt, parallelismum verbalem noſſe* (§. 617.): ope indicum, concordantiarum, lexicorum etiam, inueniendum.

* *eine Parallel-Stelle, und der Parallelismus.* ** *ein Verbal -* *** *ein Real - Parallelismus.* **** *ein vermiſchter* ***** *ein einheimiſcher.* ****** *ein auswaertiger* ******* *ein naeherer oder entfernterer.*

§. 619. Parallelismus verbalis eſt in locis qua verba ſimilibus (§. 618.): hinc non medium ad cognoſcendum vſum loquendi in lingua emortua, ſi non dentur loca in verbis ſimilia (§. 617.), et non ſufficiens, ſi non dentur numero ſufficienti (§. eod.). At ſignificatus per vſum loquendi cum vocabulis connexi ſunt ordinarie, ſaltim ex parte in eorum primitiuis (radicibus) ac deriuatis, ſimplicibus et compoſitis, nec non in eiusdem linguae vel dialectis vel matre, vel ſororibus, vel filiis, et noti praeter ea probabiliter erant auctoribus verſionum, aut paraphraſium, ac ſcholiorum, lingua viuente, aut non multo poſt confectorum. Hinc *interpreti* praeter parallelismum, *etymologiam, dialectos, linguas cognatas, verſiones ac paraphraſes*

aetati auctoris propiores nosse et adhibere, vtile et nonnumquam necessarium est (§. 617.).

§. 620. Ope parallelismi, etymologiae, dialectorum e. c. cognoscitur vsus loquendi (§. 617-619.). At non omnis terminus in vsu loquendi eumdem semper significatum habet; sed dantur homonymi (§. 147.): et interpretis est, supponere auctorem non ambiguum: hinc sensum vnum proponentem (§. 599.): hinc vnum vocabulorum significatum in homonymis significatum auctoris iudicare. Hinc *ope parallelismi, etymologiae e. c. non cognoscitur statim significatus auctoris.*

§. 621. Perfectio auctoris est, terminum vagum, hinc homonymum figere (§. 147. 148.). Ergo interpretis est, *circumspicere, an auctor significatum homonymi* alicubi *fixerit*, eumque significatum auctoris iudicare (§. 620. 597.).

§. 622. Perfectio auctoris est, perspicuum esse. At magis perspicuus est, si vocabulis vtitur in significatu eorum famosiori et obiecto personali solemniori. Ergo interpretis aequi est, *significatum famosiorem* * etiam relatiue talem, si non ab auctore fixus fuerit aliter (§. 621.), in homonymis *significatum auctoris iudicare*, donec constet contrarium (§. 597. 620.).

* *die gewoehnlichere Bedeutung.*

§. 623.

§. 623. Perfectio auctoris est, cohaerenter loqui, hoc est, ita, sicut ex antecedentibus sequentibusque cognosci potest bene fieri: hinc vt ea, talia, tanta sint subiecta, quae, qualia, quanta eadem esse permittuntur a praedicatis, et ea, talia, tanta sint praedicata, quae, qualia, quanta permittuntur esse a suis subiectis. Ergo interpretis est, *significatum contextui vocabuli proximo conuenientissimum in homonymis significatum auctoris iudicare*, donec constet contrarium (§. 597. 620.).

§. 624. Perfectio auctoris est, fini conuenienter proponere. Ergo interpretis est, *significatum fini auctoris conuenientissimum* in homonymis *significatum auctoris iudicare*, donec constet contrarium (§. 597. 620.).

§. 625. Perfectio auctoris est, non ambiguum esse: hinc eumdem constanter cum termino significatum connectere (§. 147.). Ergo interpretis est, *significatum* in homonymis *parallelismo domestico conformem* vel conformiorem (§. 618.) *significatum auctoris iudicare*, donec constet contrarium (§. 597. 620.).

§. 626. Interpretis est, in homonymis *significatum*, si non ab auctore fixus fuerit (§. 621.), famosiorem, etiam relatiue talem (§. 622.), nexui proximo (§. 623.), fini auctoris (§. 624.) et parallelismo do-

mestico conuenientissimum (§. 625.), *significatum auctoris iudicare:* hinc *quoties hic simul proprius est, proprium* (§. 129.).

§. 627. TERMINVS significatus praegnantis, hoc est, plures perceptiones non sub se inuicem contentas in se continentis, est EMPHATICVS (emphasis) *. Hinc homonymi et improprii emphatici esse possunt (§. 147. 129.).

* *ein nachdruecklich Wort, ein Nachdruck.*

§. 628. Perfectio auctoris est, caeteris paribus, etiam emphaticum esse (§. 587). Ergo interpretis est, quoties plures, termini ab auctore adhibiti homonymi, significatus notas significatus auctoris habent, illum *emphaticum iudicare*, et, si improprius, emphasin fini auctoris conuenientem continet, *improprium* (§. 597.): salua sensus vnitate (§. 599. 620.).

§. 629. Perfectio auctoris est, caeteris paribus, etiam pulcre proponendi (§. 587.): hinc terminis cognitionem pulcram reddentibus vti. Quales quum sint improprii ac figurae: interpretis est, in auctore pulcre proponente significatus improprios ac figuras exspectare (§. 597.).

§. 630. Interpretis est, nullum sensum absolute vel relatiue absurdum verum iudicare, nisi in necessitate hermeneutica (§. 605.): hinc *quoties significatus proprius sensum absurdum produceret, improprium* significatum

ficatum auctoris, donec conſtet contrarium (§. 597). At ſine abſurditate patente poteſt rationes ſufficientes habere, illum improprium iudicandi (§. 626. 628. 629.).

§. 631. Perfectio auctoris eſt, vſum loquendi non temere deſerere (§. 146. 616.). At potuit auctor habuiſſe rationes eumdem deſerendi perfectionem auctoris non tollentes. SIGNIFICATVS auctori alicui proprius ipſi PECVLIARIS *; non peculiaris COMMVNIS ** eſt. Ergo interpretis, vt auctorem intelligat (§. 585.), eſt, ſignificatus ipſi peculiares cognoſcere.

* *eine einem Redenden eigne, oder eine beſondre*
** *eine gemeine Bedeutung.*

§. 632. Interpretis aequi eſt, auctorem ſupponere vſum loquendi non temere deſerentem (§. 616.), hinc ſignificatibus communibus vſum, donec conſtet contrarium (§. 631.) At quoties auctor ipſe ſignificatum peculiarem ſuum declarauerit (§. 621.), aut communis ſenſum abſurdum daret (§. 605.), aut contextui proximo (§. 623.), aut fini auctoris (§. 624.), aut parallelismo domeſtico repugnaret (§. 625.); interpretis eſt, peculiarem ſignificatum auctoris iudicare (§. 597.): et his notis conuenienter determinare (§. 608.).

§. 633. Si proponens, quem operae pretium eſt intelligere, v. c. auctor claſſicus, legislator, ſcriptura ſacra, termini cuius-

cuiusdam explicitam quidem descriptionem aut definitionem significatum eius euoluentem (§. 186.) non dedit (§. 632.), saepius tamen eodem vtitur, hinc parallelismum domesticum habet (§. 618.): intellecturus hunc 1) loca, in quibus terminus quaestionis occurrit, indicum completorum ope vel concordantiarum inuenienda (§. 618.) 2) contextum proximum in singulis attendat (§. 623.), inde 3) notas significatus quaerendi eruat, 4) abstrahendo a reliquis ad eumdem non pertinentibus 5) in hac reflexione circa singula loca tam diu pergat, donec notarum aliquam hylen congesserit, 6) has inter se comparet: et habebit significatus ab auctore, legislatore, scriptura sacra, intenti conceptum saltim distinctum (§. 114.), non illatum, sed elatum (§. 608.), qua notas singulas. Ex huiusmodi descriptionibus vel definitionibus exegeticis (§. 154.) possunt deinde formari definitiones ex mente auctoris, legislatoris, scripturae sacrae, secundum §. 151 191. securiores, ac arbitrio coeco vel lusco formandae contra §. 187.

§. 634. Sensus orationis est series repraesentationum a proponente per vocabula significata (§. 585.). Hinc intellectis terminis singulis nondum intelligitur oratio; sed termini ita construendi sunt, vt repraesentationes connexas exhibeant. Ergo

go interpretis eſt, intellectis terminis ſingulis eosdem conſtruere: et aequi interpretis eosdem ſecundum regulas linguae autenticae grammaticas ac ſyntacticas communes (§. 616.) et communiores conſtruere (§. 622.), deinde vero ſenſum ita per ſignificatus terminorum ſingulorum ſecundum §. 616 - 633. eorumque conſtructionem determinatum, ſenſum auctoris, et in pluribus poſſibilibus maxime determinatum, verum iudicare, donec conſtet contrarium (§. 608. 597.). At nec idiotismos, dialectos, et figuras linguae autenticae grammaticas ignoret.

§. 635. STILVS AVCTORIS * eſt coordinatio orationis auctori ſolemnior. Iam perfectio auctoris eſt, eadem iisdem, ſimilia ſimilibus, congruentia congruentibus ſignificare (§. 587.). Ergo interpretis eſt, *ſtilum auctoris noſſe*, *et ſenſum eidem conuenientem*, et in pluribus poſſibilibus conuenientiſſimum, *verum iudicare*, donec conſtet contrarium (§. 597.).

* *die Schreibart eines Verfaſſers.*

§. 636. CIRCVMSTANTIAE AVCTORIS * ſunt varia in eodem communicandarum repraeſentationum rationem continentia: et vel ſunt praeuiae *remotiores*, quorſum auctoris ſtatus internus et externus in genere, et ſyſtema, animus, fines-

que

que generales in ſpecie pertinent, vel *propiores*, quorſum affectus, obiectum perſonale, tempus, locus, occaſio proponendi aut ſcribendi, cum finibus ab auctore propoſitis referenda ſunt.

* *die Vmſtaende eines Verfaſſers, oder die hiſtoriſchen Vmſtaende eines auszulegenden Vortrages.*

§. 637. Ex ratione cognoſci poteſt rationatum: hinc ex circumſtantiis auctoris ſenſus (§. 636.). Et perfectio auctoris eſt, ſyſtemati, animo, finibus, affectui, obiecto perſonali, tempori, loco, occaſioni conuenienter proponere (§. 587.). Ergo interpretis eſt, *auctorem cum circumſtantiis auctoris* tam remotioribus quam propioribus *noſſe, et ſenſum iisdem conuenientem*, et in pluribus poſſibilibus conuenientiſſimum, *verum iudicare*, donec conſtet contrarium (§. 636. 597.). Si praeſertim in patheticis non affectui auctoris conuenienter interpretatur, errat.

§. 638. Auctor orationis interpretandae, et circumſtantiae auctoris ſunt res facti. Hinc non cognoſcuntur niſi tum ex teſtimoniis de auctore eiusque circumſtantiis (§. 545.), vel in oratione interpretanda ipſa occurrentibus i. e. domeſticis, vel peregrinis, tum ex rationatis auctoris et circumſtantiarum eiusdem, in oratione interpretanda exiſtentibus (§. 572.), ab

in-

interprete colligendis. Vnde interpretem *notitia historica indigere* simul patet (§. 637. 546.).

§. 639. CONTEXTVS * est, quidquid in orationis successiuis cum interpretando connectitur: hinc vel *antecedens* vel *consequens*, vel *expressus* vel *non expressus*, vel *immediatus* vel *mediatus*, vel *remotior* vel *propior* et *proximus*, qui non semper simul immediatus est.

* *der Zusammenhang.*

§. 640. Connexorum vnum cognosci potest ex altero. Et perfectio auctoris est cohaerenter loqui (§. 623.). Ergo interpretis est, *contextum interpretandi indagare*, eumque omnem (§. 639.), *et sensum eidem conuenientem*, et in pluribus possibilibus conuenientissimum, *verum iudicare*, donec constet contrarium (§. 597.).

§. 641. Contextus est complexus cum interpretando in oratione connexorum (§. 639.). Hinc cognoscitur, si relatio partium orationis ad se inuicem et ad interpretandam cognoscatur: hinc analysi seu partitione orationis (§. 192.), secundum §. 199 - 205. instituenda, et in contextu propiore et proximo accuratissime formanda (§. 640.). Hinc interpres etiam *indiget notitia logica*, et *habitu logico* (§. eod.).

§. 642. INTERPRETATIO AVTENTICA * *latius* eſt quaeuis ſenſus ab auctore ipſo facta determinatio: et hoc ſignificatu auctor bonus ac prudens ſemper ſe ipſum interpretatur, per notas ſenſus ſui ſufficientes ſuppeditatas (§. 608.). *Strictius* eſt ſenſus interpretandi per alibi ab auctore propoſita vel eadem vel cum interpretando connexa determinatio: et cognoſcitur ex parallelismo reali domeſtico (§. 618.). *Strictisſime* eſt expreſſa ab auctore facta mentis ſuae declaratio, vel ratione ſignificatus (§. 621.), vel ratione ſenſus ſui.

* *eine eigne Erklaerung des Verfaſſers, oder wenn ein Verfaſſer ſich ſelbſt erklaert.*

§. 643. Quisquis verborum ſuorum optimus interpres: et tum perfectio auctoris eſt, nullum ſenſum alibi propoſitis vel iisdem vel connexis contradicentem proponere (§. 605.), tum ſumma in interprete iniquitas, auctori ſenſum non tribuere ab ipſo pro ſuo expreſſe declaratum (§. 596.). Ergo interpretis eſt, tum *interpretationem autenticam ſtrictius et ſtrictisſime ſumtum indagare* (§. 642.), *tum ſenſum eidem conuenientem*, et in pluribus posſibilibus conuenientisſimum *verum iudicare*, donec conſtat contrarium (§. 597.).

§. 644. ANALOGIA * eſt nexus propoſitionum ſe inuicem determinantium: hinc

hinc IN AVCTORE ** complexus propositionum ab auctore positarum (§. 236.) inter se connexarum: vnde quid analogia scripturae et iuris sit patet. Interpretis est sensum parallelismo reali domestico conuenientem verum iudicare, donec constet contrarium (§. 643. 642.): hinc *analogiae et systemati auctoris conuenientissime interpretari*: ex locorum clariorum legitima interpretatione resultanti.

* *die Aehnlichkeit der Saetze.* ** *die Aehnlichkeit oder Vebereinstimmung eines Verfassers mit sich selbst.*

§. 645. Sensus orationis est series repraesentationum, quam proponens significatum iuit (§. 585.): hinc quae finis auctoris fuit. Ergo interpretis est, *ante omnia finem ac fines auctoris nosse*: tum ex expressa illius aut illorum ab auctore, si qua facta est, declaratione (§. 642.), tum ex vocabulis, finis obtinendi mediis (§. 585.), tum ex circumstantiis auctoris (§. 636.), tum ex contextu (§. 639.) cognoscendos, *et ipsi aut ipsis conuenientissime interpretari.* (§. 608. 590.).

§. 646. Vocabula, circumstantiae auctoris, contextus, interpretatio autentica, et finis auctoris ex his coniunctim cognoscendus (§. 645.), determinant sensum auctoris (§. 616. 637. 640. 643.); sed proxime immediatum (§. 586.). At interpretis est, etiam mediatum ex oratione cognoscere

ſcere (§. 601.). Iam ille eſt in repraeſentationibus cum per vocabula ſignificatis interne ac neceſſario connexis, quoad et quatenus ab auctore praeuiſae et ſimul ſignificatae fuerunt (§. 601. 602.). Ergo interpretis eſt, *ex ſenſu auctoris cognito immediato* legitime *concludere* (§. 298.), et in talibus concluſionibus eo vsque progredi, quousque ab auctore probabiliter praeuiſae et ſignificatae fuerunt.

§. 647. Species ſenſus mediati eſt myſticus (§. 586.). Ergo interpretis eſt, ſenſum myſticum, ſi quis adeſt, cognoſcere (§. 601.): et quidem, quum per litteralem ſignificetur (§. 586.), poſt litteralem et ex litterali; tum quoad eius praeſentiam, tum quoad eius formam ſeu contenta.

§. 648. Nuda rei per verba auctoris ſignificatae ad aliam ſignificandam aptitudo non eſt ratio ſufficiens, ſenſum myſticum ab auctore ſignificatum iudicare. Et idem ſenſus litteralis poteſt admittere plures myſticos. Hinc et praeſentia et forma ſenſus myſtici non cognoſcitur cum completa certitudine, niſi ex interpretatione autentica (§. 642.); probabiliter tamen tum ex ſenſus litteralis notabiliore quadam ad ſignificandum myſticum aptitudine et alioquin neganda dignitate aut veritate, tum ex parallelismo reali domeſtico auctorem myſticum eſſe ſolere probante

bante (§. 618.). In pluribus ſenſibus myſticis poſſibilibus interpretis eſt, litterali (§. 586.) circumſtantiis ac fini auctoris, analogiae in auctore, contextui etiam conuenientiſſimum verum iudicare (§. 646.).

§. 649. Perfectio auctoris compoſita eſt (§. 587.): hinc admittit exceptiones. Interpres aequus in pluribus ſenſibus posſibilibus verum iudicat, quo admiſſo minor in auctore imperfectio maiorem impediuiſſet, donec conſtet contrarium (§. 597.).

§. 650. Interpres ſenſum ex oratione cognoſcit; PROPONIT quoque (§. 585). Tum cognitio veri ſenſus, et ad hanc requiſita, probe diſtinguenda ſunt ab eiusdem denuo ab interprete inſtituenda propoſitione et ad hanc requiſitis. Tum in vtraque diſtinguantur neceſſaria ad verum ſenſum qualemcunque quantumcunque et vndecumque caeteroquin cognoſcendum ac proponendum, a neceſſariis ad gradus huius cognitionis ac propoſitionis, qua extenſionem et intenſionem (§. 24.).

§. 651. Breuiſſima ſenſus, qua propoſitionem (§. 650.), in lingua ab autentica diuerſa interpretatio VERSIO (ſeu nuda expoſitio) * eſt. Ergo verſio 1) *proponat ſenſum*: hinc repraeſentationes auctoris, nec plures, nec pauciores, nec

 alias,

alias, inter ſe et eodem modo, quo ab au-ctore factum eſt, connexas (§. 585.): hinc ſequatur interpretationem et fiat ab interprete (§. eod.): 2) proponat eumdem *breuisſime* vocabulis alterius linguae: hinc non niſi ſubſtituendo vocabulis auctoris ſynonyma alterius linguae eodem modo connexa, quantum genius vtriusque linguae permiſerit; et 3) *proponat*: hinc habeat tum generales eloquutionis et propoſitionis, tum ſpeciales eiusdem in lingua, in quam transfertur, perfectiones: hinc vertens perfectionibus interpretis perfectiones proponentis iungat.

* *eine Veberſetzung.*

§. 652. Vberior ſenſus immediati, qua propoſitionem (§. 650.), interpretatio, tamen non vltra ad eumdem nexumque in eodem clarius cognoſcendum neceſſaria progrediens, eſt PARAPHRASIS *: vel in lingua auctoris, vel in altera poſſibilis. Ergo paraphraſis 1) *ſenſum* 2) *proponat*: et in tantum eadem, quae verſio, obſeruet (§. 651.); ſed 3) eumdem et nexum in eodem *clariorem* reddat: hinc pro vocabulis interpretandi textus non tantum, quae poſſunt proxime, ſynonyma, pro illius conſtructione non tantum, quae poteſt, ſimillimam, ſed et alia ſenſus felicius exprimendi gratia nunc ſubſtituat, nunc interſerat, et 4) tamen ſe ad *immediatum*

diatum adſtringat, nec plura, quam ad eumdem melius appercipiendum *neceſſaria* ſunt, proponat.

* *eine Vmſchreibung.*

§. 653. Interpretationem breuiorem pluribus meliorem reddere contendens ſenſum COMMENTATVR, et eſt COMMENTATOR *. Quod quum ſecundum generales cognitionis perfectiones (§. 23.), et in cognitione ſenſus poſſibiles (§. 588.) fieri poſſit ac debeat: addendo, aeſtimando, limando, illuſtrando reſoluendoque (§. 119.), confirmando, applicandoue interpres fit commentator. Interpretatio ſic orta, ſi proponatur, fit COMMENTARIVS **: vel circa vocabula potiſſimum occupatus PHILOLOGICVS (grammaticus), vel circa res iisdem ſignatas EXEGETICVS.

* *der erklaehrt den Sinn oder Vortrag eines Verfaſſers,* ** *eine Erklaehrung oder ausfuehrliche Auslegung eines Vortrages.*

§. 654. Commentarius, et praeſertim exegeticus, proponit interpretationem pluribus meliorem redditam, aut ſaltim reddendam (§. 653). Ergo 1) *ſenſum* 2) *proponat*: adeoque generales interpretationis ac propoſitionis, et commentator tum interpretis tum proponentis perfectiones habeat (§. 651.); ſed 3) cognitionem ſenſus extenſiue et intenſiue *per-*

fectiorem, hinc eruditam (§. 25.) producat, et ad eamdem tum necessaria tum vtilia contineat.

§. 655. Interpres sensum ex oratione cognoscit et proponit (§. 585.): vel versione (§ 651.) vel paraphrasi (§. 652) vel commentario (§. 653.): vel philosophice, vel minus (§. 585.). Si philosophice proponit, probat (§. 26 190.). Hinc versio, paraphrasis, et commentarius possunt probantes et non probantes esse. At *commentarius* verus et perfectus semper probans est (§. 653 654.): et *sensum philosophice proponit*.

§. 656. THEMA IN ORATIONE * est conceptus, vel iudicium, eius pars, in qua ratio sufficiens est cogitatarum eius partium reliquarum. SCRIPTVM, cuius thema idea ex charactere veritatis externo tantum cognoscibilis (§. 51. 477.), aut iudicium tale singulare est (§. 220.), HISTORICVM *latius*, et, si historia est (§. 546.) *strictius*; cuius thema est notio (§. 51.), vel dogma (§. 513.), est DOGMATICVM. SCRIPTVM dogmaticum non nisi cognitionem historicam proponens est HISTORICO DOGMATICVM; philosophice disciplinam proponens est SYSTEMATICVM; scientiam, SCIENTIFICVM (§. 513.). Scientificum ideo scriptum, vt in id viua voce

voce commentemur (§. 653.), est ACROAMATICVM.

* *der Hauptbegrif oder Hauptsatz einer Rede.*

§. 657. Hermeneutica generalis regulas interpretandae orationis cuiuscunque demonstrat (§. 585.): hinc ab interprete in interpretatione orationis et scripti cuiusuis thematis ac formae (§. 656.) obseruandas. At perfectio auctoris propius determinatur per thema et formam orationis aut scripti sui, et praeter generales auctoris perfectiones complectitur speciales, aliter in oratione historica et aliter in dogmatica, aliter in historico-dogmatica et aliter in systematica vel scientifica e. c. determinandas (§. eod.). Ergo interpretis, vt aequus sit, est, perfectiones orationis pro diuersitate thematis ac formae diuersas nosse, et tum regulas hermeneuticas generales per easdem propius determinare, tum speciales, ex quibus hermeneutica specialis formatur, non negligere, tum sensum generalibus specialibusque auctoris perfectionibus conuenientissimum solum verum iudicare, donec constet contrarium (§. 597.).

CAPUT V.

APODICTICA.

SECTIO I.

DE CONVINCENDO IN GENERE.

1) *generalis, seu de conuincendo in genere sectione Ima* §. 658-675. 2, *specialis, sectione IIda qua conuictionem a) de veritate* §. 676-678 *b) de falsitate cognitionis* 1) *in genere, seu de refutando* §. 679 710. 2) *de coram instituenda, seu de disputando in specie sectione III*, §. 711-720.

§. 658.

CONVINCERE *latius* est certum aliquem reddere (§. 17.), *strictius* complete seu mathematice certum aliquem reddere (§. 19). CONVICTIO ** vel est actus, quo conuincitur, (apodixis), vel certitudo per conuictionem producta. CONVINCENDUS vel nosmet ipsi sumus, vel alius. Scientia strictius seu complete conuincendi est APODICTICA ***; quum conuincendo cognitio intellectualis intenda-

tur

tur (§. 24.), hinc perficiatur (§. 31.), disciplina logica (§. 42. 46.).

* *Veberzeugen oder ueberfuehren,* ** *die Veberzeugung oder Veberfuebrung,* *** *die Wissenschaft zu ueberzeugen oder zu ueberfuehren.*

§. 659. De quo certitudo de illo conuictio latius; et de quo certitudo mathematica, de illo conuictio strictius sumta possibilis est in se (§. 658.): licet non semper relatiue certo subiecto sit. Iam omnis conceptus verus, iudicium verum, et ratiocinium verum in se certum est: ac de innumeris conceptibus (§. 126.), iudiciis (§. 248.) et ratiociniis seu qua materiam et formam (§. 301. 304.), et qua formam omnibus (§. 305.) certitudo mathematica possibilis est. Ergo *obiectum conuictionis in genere vel conceptus, vel iudicium, vel ratiocinium est* (§. 7); at strictius sumtae numquam res facti a conuincendo ipso non sensa aut sentienda, nec modus aut relatio, quam non ipse expertus est, aut experiri potest (§. 545.).

§. 660. Conuincendus certus est reddendus (§. 658.), ergo clare debet perspicere veritatem conceptus, vel iudicii, vel ratiocinii (§. 659.) de quo conuincendus est (§. 17.): ergo nosse, an notae conceptus et extrema iudicii repugnent aut conueniant (§. 88. 217.), in ratiocinio autem praeter conceptus veros et iudicia vera

vera ſit conſequentia (§. 300.): hinc notarum conceptum ingredientium (§. 55.) extremorum iudicii (§. 207.), et praeter ea formae in ratiocinio (§. 301.), habere cognitionem ſaltim claram (§. 14.). Ergo *conuincendo partes illius, de quo conuincendus eſt, ante omnia declarandae ſunt, ipſum reſoluendum eſt* (§. 119.).

§. 661. Conuincendo de quo conuincendus eſt, cognitione clara, immo diſtincta, opus eſt (§. 660.): hinc, ſi iudicium ab alio propoſitum ſit, vt illud intelligat (§. 585.). Ergo ſe aut alios de ab aliis propoſitis conuicturus interpres eſto (§. eod.).

§. 662. Conuincens ſe aut alium vel de conceptu, vel de iudicio, vel de ratiocinio certum reddit (§. 658. 659.): hinc apperceptionem veritatis producit (§. 17.). At logica notas veritatis docet ac demonſtrat. Ergo *ſe aut alium conuicturus indiget ſcientia et praxi logices*, ſeu logica docente et vtente (§. 45.).

§. 663. Conuincens ſe aut alium certum reddit (§. 658.): hinc vt veritas conceptus, vel iudicii, vel ratiocinii appercipiatur, efficit (§. 17. 660.): hinc vt notae veritatis ſufficientes cognoſcantur (§. 97.). At tales de quocunque obiecto non indemonſtrabili (§. 249.) non cognoſcuntur niſi per probationem ſufficientem (§. 517.). Ergo *omnis conuictio ipſa*, ſi obiectum non

ſit

ſit indemonſtrabile, facta declaratione et reſolutione iam certum (§. 249.), *fit* poſt illius declarationem et reſolutionem (§. 660.), interpretationem quoque (§. 661.), *probatione ſufficienti, ſeu demonſtratione* (§. 517.).

§. 664 Conuincens ſtrictius ſe aut alium mathematice et complete certum reddit (§. 658.). Hinc conuictio ſtrictius ſumta fit, de omnibus demonſtratiuis (§. 249.), demonſtratione ſtricte dicta (§. 663. 519.): vel a priori vel a poſteriori (§. 442.), vel per connubium rationis et experientiae (§. 443.): vel demonſtratione directa vel indirecta (§. 526). Conuictio latius ſumta poteſt etiam fieri per teſtimonia fide digna (§. 658 569.) de obiectis non niſi fide cognoſcibilibus (§. 545.), hinc non ſtrictius ſumtae obiectis (§. 659.).

§. 665. Conuictio fit in indemonſtrabilibus eorum declaratione et reſolutione, in reliquis demonſtratione ſaltim latius ſumta (§. 663. 664.). At conuincendus non conuincitur actu, niſi tum ad declarationem (§. 660. 661.) et demonſtrationem attendat, attentionem quoque, ſi haec compoſita eſt (§. 413.), continuet, tum declarationem et demonſtrationem intelligat (§. 16.) eamque veram et ſufficientem (§. 517.): hinc materialiter ac formaliter veram iudicet (§. 300-303.); tum non eidem

verae

verae iudicatae formidinem oppositi tamen possibilis iudicati (§. 18.), praeiudicia (§. 532.) et animum a conclusione vera iudicanda alienum opponat.

§. 666. Quo maiore conuincendus attentionem intendendi ac protendendi habitu gaudet, quo notiores iam ipsi res sunt, de quibus conuincendus est, quo faciliores eidem sunt experientiae, quo plures, quo propiores praemissas iam certo nouit, quo peritior certiorque est regularum logicarum in genere et de ratiocinando in specie, quo exercitatior est in concludendo legitime, et quo a praeiudiciis liberior, veritatisque studiosior; hoc ad conuictionem est aptior (§. 665.). Hinc vtiliter formantur problemata dynamico didactica huius circiter formulae: datum ingenium dato tempore de data re conuincere (§. 496.). Attentionem datae cuidam conuictioni necessariam, qui vel omnino non adhibere, vel non satis diu continuare aut non vult aut non potest, vel omnem accurationem in definitionibus, omnemque ad rem, de qua conuincendus est, intelligendam allatam curam ridet, vel et experientiae strictius dictae (§. 440.) aliisque propositionibus indemonstrabilibus repugnat (§. 249.), vel ab omni regularum logicarum cognitione aut praxi imparatus est, vel et stricte demon-

monstrata pro incertis habet, vel conuinci omnino non vult, dum talis manet, non est, quem vlla demonstratione conuincere tentes (§. 665.).

§. 667. Conuicturi est, attentionem in conuincendo excitare et conseruare (§. 665.): hinc tum conuincendum de rei, de qua conuincendus est, vtilitate ac dignitate conuincere (§. 12.), prius, quam conuictionem de eius veritate aggreditur; tum, quae ad conuictionem producendam non necessaria sunt, omittere, tum ad eamdem necessaria iusto ordine ac methodo (§. 503 sqq.), et, si plura sunt, de quibus conuincendus est, v. c. totae doctrinae aut disciplinae (§. 513.), legitima constitutione pensorum, et lenta festinatione proponere.

§. 668. Attentionem datae cuidam conuictioni necessariam, qui licet ad eamdem excitatus et iuuatus (§. 667.) adhibere non potest aut non vult, hunc de eo praestat conuincere, quod de data re data ratione nondum conuictus sit, vel omnino tali modo conuinci nequeat, quam leuiculis quarumdam demonstrationum simulationibus ipsi male persuadere velle, dicto modo conuictum eum esse, vel etiam esse debere, si ne posterius quidem verum sit (§. 666. 531.).

§. 669.

§. 669. Conuicturi est curare, vt conuincendus, de quibus conuincendus est, actu intelligat (§. 665.): hinc, si eadem ipsi proponat, perspicuum esse etiam relatiue (§. 146.); si ab aliis proposita sint, eadem interpretari et commentari (§. 661. 653.), in quantum ad eorumdem repraesentationem claram et distinctam in conuincendo opus est.

§. 670. Conuicturi est curare, vt conuincendus suam demonstrationem materialiter ac formaliter veram iudicet (§. 665.): hinc tum demonstrationem captui conuincendi probabiliter attemperatam, si plures possibiles sunt, eligere, tum ex nulla praemissa concludere conuincendo non vel iam ante certa vel certa reddita, tum a ratiocinationibus crypticis (§. 403.) vt potest, abstinere, tum conuincendum de legitima ratiociniorum suorum forma et concatenatione, si syllogisticae ignorantia aut incertitudo in eodem suspicanda est, instruere et conuincere (§. 301. 305.), tum, si attentio conuincendi permittit (§. 667.) plures eiusdem rei demonstrationes legitime afferre; tum vt conuictio constans sit, a demonstrationibus tantum pro nunc conuincentibus, quales ex praemissis a conuincendo positis sed ipsi non concedendis deduci possunt, abstinere, vt potest.

§. 671.

§. 671. Conuicturi est, omnem in conuincendo oppositi formidinem (§. 658. 18.), et omnia conuictionis impedimenta remouere (§. 665.): hinc tum ad impossibilitatem stricte demonstratis oppositorum absolutam prouocare (§. 530.), tum rationes illorum apparentes destruere, scrupulosque in conuincendo vel contra demonstrata vel contra demonstrationem probabiles euellere, tum praeiudicia opposita tollere. Talia praeiudicium nouitatis vel antiquitatis, admixti veri vel falsi, rei non sensae nec sentiendae, nominis, et plura alia sunt: inter quae PRAEIVDICIVM AVCTORITATIS seu PRO AVCTORITATE et CONTRA AVCTORITATEM ** eminent, illud quidquid in honore, quo alter sequendus iudicatur, iudicii erronei per praecipitantiam fertur affirmatiue, et hoc quidquid in eodem hoc modo fertur negatiue, complectens (§. 570. 532.).

* *das Vorurtheil des Ansehns,* ** *gegen das Ansehn.*

§. 672. Conuicturi denique est curare, vt conuincendus animum non habeat a conuictione alienum (§. 665.): hinc tum in genere animum conuincendi veritatis amore incendere, tum in specie affectus conuictioni oppositos impedire et eidem conformes excitare, et eum in finem pro

di-

diuerſitate conuincendi et rei, de qua conuincendus eſt, diuerſa facere.

§. 673. Conuincendus certus reddendus, et conuincentis eſt, certum reddere (§. 658.). At certitudo concluſionis nititur certitudine praemiſſarum (§. 304.). Hinc demonſtrationem ne ingrediatur vlla incerta, aut improbabilis, aut dubia, aut probabilis tantum (§. 20.), nec vlla precaria (§. 528.), nec vlla mera opinio (§. 531.), aut praeiudicium (§. 532.): hinc conuincendus et conuincens nihil ponant ante requiſita ad veritatem neceſſaria ſufficientia cognita (§. 17.). At dantur principia in cognitione humana certa nulla demonſtratione egentia (§. 253 ſqq.), ac dantur prima non ex prioribus deducenda. Hinc *nec conuincendi nec conuincentis tamen eſt, nihil, quod non demonſtratum ſit, ponere; nec de omnibus* non demonſtratis ante conuictionem praeſtitam *dubitare* (§. 20.).

§. 674. Conuincendus certus reddendus, et conuincentis eſt, certum reddere (§. 658.). At vtile eſt in conuictione latius ſumta diſtinguere 1) neceſſitatem certitudinis, et neceſſitatem certitudinis naturalis, ſolis ab homine naturae ſuae viribus connatis acquirendae, 2) neceſſitatem certitudinis, et neceſſitatem certitudinis intellectualis et rationalis (§. 30. 26.), 3) neceſſita-

cessitatem certitudinis intellectualis et rationalis, et necessitatem certitudinis intellectualis et rationalis completae (§. 19.), et 4) necessitatem certitudinis intellectualis et rationalis completae, et necessitatem certae cuiusdam speciei in certitudinibus eiusmodi e. g. internae a priori tantum (§. 442.) ab vna parte; ab altera tamen agnoscere praerogatiuam 1) verae conscientiae de eo, quod et quomodo de datis quibuslibet adhuc incertus sis, prae mala persuasione (§. 668 531.) 2) cuiuscunque certitudinis maioris prae incertitudine quantulacunque vincibili. Practice distinguens illud et perpendens hoc, inter nimis festinantes et iusto tardiores in quaerenda conuictione tam actiua quam passiua laudabiliter incedet medius (§. 667.).

§. 675. Recte DVBITATIO VNIVERSALIS pro adeo misero animi statu habetur, vt non cadat in vllum mentis compotem, nisi ludere velimus in terminis (§. 673.). Neque tamen felicior est animi morbus dogmatici, qui PLENAM CERTITVDINEM, SCIENTIAM, CONVICTIONEM de omnibus, certe de multis, saltim de aliquibus, habere se sibi male persuadet, vel persuadere peius aliis velit eo significatu, quo nihil omnino in rebus, de quibus certus sis (ab essentia earumdem omni per attributa et modos ad relationes vsque),

Digitized by Google

ſuperſit incogniti tibi, vel aliquantulum incerti (§. 674.).

SECTIO II.

DE CONVINCENDO ET REFVTANDO IN SPECIE.

§. 676.

Conuincere eſt certum aliquem reddere (§. 658.). Iam poteſt aliquis vel de veritate vel de falſitate alicuius cognitionis certus reddi. De veritate certum reddere dicitur κατ' ἐξοχὴν CONVINCERE *, de falſitate vero, ſi pro vera habita fuerit, REFVTARE **. Vtrumque ergo vel latius vel ſtrictius fieri poteſt (§ 658.).

* *ſchlechthin ueberzeugen*, ** *widerlegen.*

§. 677. Conuictio de veritate alicuius cognitionis conuictio eſt (§. 676.): hinc in eadem omnia, quae in conuictione in genere, obſeruanda ſecundum §. 660-675. et pro rei, de qua conuictio quaeritur, natura et forma tantum propius determinanda ſunt. Aliter in conuictione de conceptu, aliter de iudicio, aliter de ratiocinio (§. 659.) procedendum eſt; et aliter in conuictione de indemonſtrabili e. g. definitione (§. 254. 190.), et de demonſtratiua (§. 249. 663.); aliter in conuictione de in-

intuitiua, et de discursiua, et de historica (§. 246.); et aliter in conuictione de non nisi a posteriori, et de non nisi a priori cognoscibilibus (§. 443 583 664.).

§. 678. In conuictione de veritate alicuius cognitionis eadem, quae in conuictione in genere, obseruanda sunt (§. 677.). Ergo si conuictio completa et strictius sumta intendatur (§. 658.), quae in tali in genere praesertim secundum §§. 664-673. ad obtinendam veritatis scientiam, et euidentiam (§. 529. 530.). Ergo praesertim 1) nulla demonstrationem ingrediatur praemissa non complete certa (§. 670. 521.): vnde in scriptis systematicis, magis in scientificis (§. 656.), citationes locorum, ex quibus demonstratio nunc sumtae demonstratiuae propositionis petenda sit (§. 528. 249.), quamuis laboriosae tamen necessariae sunt (§. 248. 521.), si partim infinitam prolixitatem ex iteratis repetitionibus vitare velis, partim propositiones precarias (§. 528.), et saltus illegitimos in nimis vagis ad anteriora prouocationibus (§. 435. 525.) 2) methodo cogitetur et proponatur philosophica (§. 509. 667.), et, vt potest, mathematica (§. 510.): vel synthetica vel analytica (§. 505.): illa in conuictione de multis, hinc in conuictione de doctrinis ac disciplinis (§. 513.); haec in conuictione de vno aut altero praeferenda. Quoduis

peccatum contra apodicticam (§. 658) a conuicturo commissum ab huius parte conuictionem conuincendi vel moratur vel impedit, completam saltim.

§. 679. REFVTARE est aliquem de falsitate cognitionis pro vera habitae conuincere (§. 676.): hinc aliquem erroris conuincere (§. 13.). Tentamen, nisus, vel conatus ad refutandum est IMPVGNATIO*; impugnans ADVERSARIVS **; refutationem refutans aut saltim impugnans DEFENDENS ***; ab impugnando posita ab impugnate sublata (§. 236.), VENIVNT IN CONTROVERSIAM ****; propositio in controuersiam veniens est THESIS CONTROVERSA *****; huic ita opposita, vt ambae simul verae esse nequeant, est ANTITHESIS ******; controuertentes sunt DISSENTIENTES (antagonistae) *******; et refutationis defensionisque vel sufficiens et vera vel insufficiens et apparens sit, reciprocatione GERITVR CONTROVERSIA ********. Scientia refutandi est ANTITHETICA, seu POLEMICA.

* *die Bestreitung oder der Angrif,* ** *der Gegner oder angreifende Theil,* *** *der vertheidigende* **** *werden streitig,* ***** *der streitige Satz,* ****** *der Gegensatz,* ******* *die Streitenden,* ******** *der Streit oder die Streitigkeit.*

§. 680. Obiectum refutationis cognitio falsa et erronea est (§. 679.), vel conceptus,

ceptus, vel iudicium, vel ratiocinium (§. 7. 659.): et omnis cognitionis falsae et erroneae refutatio est in se possibilis, licet non semper relatiue talis sit (§. 659.). Cognitio vera potest impugnari, sed non refutari (§. 679.).

§. 681. *Alterum impugnans* vult eumdem erroris conuincere (§. 679.): hinc *ante omnia*, vt logomachia euitetur (§ 150.), *illum probe intelligat, et interpres sit* (§. 585.) aequus secundum §. 596-649. Potest, qui errarat, vel errorem in aliis producere male laborat, in oratione dicta vel scripta terminis suis significatus intendisse, quos ex regulis hermeneuticis necessario auditor vel lector cum iisdem coniungere debet (§. 594.), nunc tamen, quia vel erroris pudet, vel eumdem velut irrefutabilem porro disseminare vult, his suis terminis, ad eludendam refutationem, significatus prorsus alios affingere, quam quos intenderat, et quos regulae hermeneuticae cum iisdem coniungere postulant (§. 616-635.). At tali vel coactissima interpretatione autentica verborum suorum (§. 642), seriam omnem de rebus grauioribus controuersiam se praescindere posse male sibi persuadet, et impugnatur ac refutatur salua interpretis aequitate (§. 150. 633. 596.).

§. 682. Refutando probe intellecto (§. 681.), vt quae in controuersiam veniunt,

appareant, refutantis est indicare, quae a refutando posita tollat: hinc thesin controuertendam, si propositio sit, et antithesin (§. 679.). Dum ostenditur, quaenam propositio sit thesis controuersa et quae eius antithesis, FORMATVR STATVS CONTROVERSIAE seu QVAESTIONIS *. Ergo *refutantis est, statum controuersiae formare.*

* *die Streitfrage wird festgesezt.*

§. 683. Thesis et antithesis sibi ita oppositae sunt, vt ambae simul verae esse nequeant (§. 679.): hinc sibi inuicem contrariae esse possunt et contradictoriae (§. 272. 269.); non autem subcontrariae in genere (§. 275.) Ergo *refutantis statum controuersiae formantis est, demonstrare, antithesin thesi controuersae contradictoriam vel contrariam esse* (§. 682.): adeoque dissensum verum adesse, et non logomachiam (§. 150.).

§. 684. Alterum probe intelligens, at certum reddens, eumdem in loquendo scribendoue vel vsum loquendi, vel receptum terminorum significatum, vel sensum verum, clarum et certum, cui operam dare debuerat (§. 587.), neglexisse, non est quidem logomachus (§. 150.), et conuicit eumdem culpae doliue, hinc erroris circa loquendi scribendiue officia (§. 658.). Probe tamen eiusmodi refutationes philologicae vel etiam morales, quae non sunt

sunt consilii, nisi in grauioribus (§. 681.), distinguantur a refutationibus circa terminos conuenientium in ipsis autem significatis iudiciis dissentientium (§. 683. 679.).

§. 685. Refutans aliquem erroris conuincit, et impugnans conuincere conatur (§. 679.). Hoc vel thesin ab aliquo positam vel eius probationem impugnando fieri potest. Quum vera male inferri seu probari (§. 303.), et nonnumquam ex falsis sequi possint, qui probationem refutandi, nondum tamen thesin controuersam refutauit. Verumtamen refutandum tum erroris in probatione, tum poni ab ipso thesin controuersam sine ratione sufficienti, conuicit. Hinc *probatio refutandi* omnino *est obiectum refutationis* (§. 679.).

§. 686. *Probationem* refutandi *impugnantis* (§. 685.) est demonstrare illam falsam esse (§. 676.): hinc, quum omnis probatio per ratiocinationem fiat (§. 413.), ratiocinationem refutandi vel in forma vel in materia peccare (§. 302.). Ergo probationem impugnantis est vnum aut alterum demonstrare: et vt haec demonstratio eo facilior clariorque euadat, ratiocinationem refutandi, si non iam syllogistica et formalis fuerit, in formalem et syllogisticam reducere (§. 437.).

§. 687. Probationem refutandi *in forma* peccare demonstraturus (§. 686.), vel

directe peccatum contra regulas syllogisticas commissum (§. 305.) ostendat ac demonstret, vel, si praesertim harum in refutando aut imperitia, aut incertitudo, aut contemtus suspicandus est, *indirecte* consequentiam illegitimam probet imitando formam concludendi a refutando obseruatam (§. 301.), et sic ex praemissis veris vel antithesin inferendo, hoc est per RECIPROCATIONEM, seu RECIPROCANDO, vel conclusionem aperte falsam deducendo, hoc est, per COMPARATIONEM seu COMPARANDO (§. 300.).

§. 688. A probationem refutandi *in materia* peccare demonstraturo (§. 686.), vel vnam (§. 521.) vel plures praemissarum falsas aut saltim incertas esse demonstrandum est (§. 303.): *in genere* sicut falsitas propositionis demonstratur secundum §. 527. *in specie* vel LIMITANDO seu per LIMITATIONEM si praemissa refutandi aliqua determinatione adiecta demum vera sit (§. 227.); vel DISTINGVENDO seu per DISTINCTIONEM, si praeter limitationem seu determinationem necessariam, quae sub conceptu aut praemissa refutandi non autem sub determinatione adiicienda continentur, indicantur (§. 149.); vel per INSTANTIAM, si sub praemissa refutandi subsumitur alia, vnde sequitur, quam ipse refutandus tollit, (§. 311.); vel per

per illationem antitheſeos ex ipſo refutandi medio termino, aut per RETORSIONEM, ſi ex praemiſſa refutandi minore, maiorisque eius oppoſita, infertur antitheſis; aut per INVERSIONEM ſi ex praemiſſa minori refutandi oppoſita et terminis maiori ac medio eius oppoſitis infertur antitheſis; etc.

§. 689. Quum probatio vnius praemiſſae falſae aut incertae non ſit demonſtratio (§. 304. 521.): qui vnam refutauit, probationem refutauit (§. 685.).

§. 690. *Theſin controuerſam ipſam* impugnantis (§. 685) eſt, demonſtrare illam falſam eſſe (§. 676.). Theſis et antitheſis nequeunt eſſe ſimul ambae verae (§. 683.): et vna vera falſa eſt altera (§. 269. 272.). Hinc *theſis controuerſa refutatur vel* demonſtratione antitheſeos *indirecte*, *vel* demonſtratione falſitatis eiusdem *directa* (§. 526.).

§. 691. Theſin controuerſam refutaturus *indirecte* per demonſtrationem antitheſeos (§. 690.), praecepta logica de demonſtratione obſeruet §. 517-536. Eamdem *directe* refutaturus ſecundum §. 527. vel demonſtret conceptum ipſi reſpondere impoſſibilem, vel tollere eamdem alias ponendas certas, vel ſequi ex eadem falſas. DEMONSTRATIO falſitatis alicuius propoſitionis ex ſequentibus ex illa falſis eſt APOGOGICA (deductio ad abſurdum,

vel incommodum). Ergo refutatio theseos controuersiae potest fieri apogogica.

§. 692. Refutatio potest fieri demonstratione apogogica (§. 691.). At vt haec sufficienter probet 1) non admittit praeter eam, cuius falsitas demonstranda est, vllam falsam praemissam aut incertam 2) certa forma 3) infert certo falsam aut incommodam (§. 521.). Tunc enim conclusione certo falsa aut incommoda, vitium esse debet aut in materia aut in forma (§. 300. 303.). Non est in forma, nec in materiae parte alia praeter eam, cuius falsitas demonstranda est: ergo haec falsa est (§. 691.).

§. 693. Verarum praemissarum necessario vera est conclusio legitime illata (§. 300.) Ergo si ex thesi controuersa vnica sequatur falsa et sequi demonstratum est, refutandus erroris conuictus, hinc refutatus est (§. 679.), apogogice (§. 691.). Plures sine necessitate coaceruans easque ad odium aut contemtum refutando contrahendum aptas, si hunc finem habet, fit CONSEQVENTIARIVS (§. 602.), etsi non inferat nisi legitime sequentes: et, quum complexus mediorum ad odium refutando contrahendum ARGVMENTVM AB INVIDIA * dicatur, vtitur argumento ab inuidia.

* *die Kunst Jemanden anzuschwaertzen.*

§. 694.

§. 694. Ex praemiſſis non a ſe ſed a refutando poſitis deducens antitheſin ARGVMENTATVR κατ' ανθρωπον ſeu AD HOMINEM *: et DEMONSTRATVR AD HOMINEM, ſi praeter praemiſſas a refutando poſitas non ſumuntur niſi certa, et inde non niſi certa forma; deducitur antitheſis (§. 517.). Tunc refutandus aut praemiſſas a ſe poſitas adhuc ponit et ponere tenetur antitheſin (§. 300.), aut reuocare ſuas praemiſſas: vtroque caſu refutatus (§. 679.), et quidem in ſecundo apogogice (§. 691.).

* *der ſtreitet gegen Jemanden mit deſſen eignen Waffen.*

§. 695. Refutaturus vult aliquem erroris conuincere (§. 679.): hinc, quae in conuictione alicuius in genere obſeruanda ſunt ſecundum §. 663-675. obſeruet, et in ſpecie, ne animus refutandi a refutatione admittenda abalienetur, caueat ſecundum §. 672. potius ad errorem auerſandum eumdem flectat.

§. 696 Defendens refutationem refutat, aut ſaltim refutare conatur, hinc impugnat (§. 679.). Ergo quae refutantis et impugnantis in genere ſunt ſecundum §. 681-694. eadem ſunt defendentis pro diuerſitate impugnantis, impugnationis, et impugnatorum, tantum propius determinanda.

§. 697.

§. 697. Defendens refutationem refutat (§. 696.). At non poteſt refutari, niſi cognitio falſa et error (§ 680). Ergo contra refutationem veram defenſio non niſi apparens poſſibilis eſt: hinc vir bonus refutatus, ſe vere refutatum intelligens, veritatis compulſus viribus et honore nullam tentat defenſionem. Deinde refutatio ſaltim adparens ſit, quae defenſionem mereatur.

§. 698. Defendens refutationem refutat, aut refutare ſaltim tentat (§. 696.): hinc refutantem refutationis falſae et erroneae conuincere (§. 679.). Sed non conuincet, niſi tum aduerſarium recte intellexerit, tum eius refutationem recte et in omni vi ſua proponat, ac deinde refutet. Ergo defendens tum refutantem recte intelligat et aequus refutationis interpres ſit (§. 696 681.), tum ſe illum recte intellexiſſe recta et completa refutationis propoſitione ac repetitione oſtendat.

§. 699. Aduerſarius poteſt defendentem non intellexiſſe, aut interpres iniquus fuiſſe (§. 681.), adeoque vero logomachiam excitaſſe (§. 150.). Interpretatione autentica, aut interpretationis iniquae factae refutatione tunc logomachia tollitur, et aduerſarius refutatur: ergo fit defenſio (§. 679.): ſed adparens, ſi interpres aequus fuerit, ſecundum §. 681.

§. 700.

§. 700. Aduerſarius poteſt ſtatum controuerſiae plane non aut male formaſſe (§. 682 685.). Si non formauit: defendens, refutantis officia melius praeſtiturus, eumdem formet (§. 682.) Si male: oſtendat, aduerſarii antith ſin non eſſe veram antitheſin (§. 683.): et refutauit refutationem adparentem: hinc defenſio facta eſt (§. 679.).

§. 701. Aduerſarius poteſt formam probationum defenſuri non refutaſſe (§. 687.). Oſtendat tunc defenſurus, vel regulas ſyllogiſticas aduerſarii falſas, vel probationes ſuas inique et minus recte propoſitas regulisque ſyllogiſticae conformes, vel ſi impugnatio earumdem ab aduerſario per reciprocationem aut comparationem facta ſit, has falſas eſſe: et aduerſarius refutatus: hinc defenſio facta eſt (§. 679.).

§. 702. Aduerſarius poteſt materiam probationum defenſuri non refutaſſe (§. 688.). Tunc ſi defenſurus obiectiones contra praemiſſas ſuas propoſitas ſoluat, et ſi per limitationem, aut diſtinctionem, aut inſtantiam, aut retorſionem aut inuerſionem impugnatae fuerint (§. 688.), vel neget limitationem, diſtinctionem e. c. eamque falſam eſſe demonſtret, vel concluſionem ſuam etiam limitatione, diſtinctione e. c. admiſſa ex praemiſſis ſequi

pro-

probet, vel praemissam suam sine hac limitatione, distinctione e. c. veram esse, instantiam allatam illam non ferire probet, aut eamdem ita, vt non amplius ab illa feriri possit, limitet e. c. aduersarium refutauit: hinc defensio facta est (§. 679.).

§. 703. Aduersarius potest demonstratione antitheseos refutaturus illam non demonstrasse, hinc non refutasse (§. 690.). Tunc si demonstret defensurus, probationem aduersarii vel formaliter vel materialiter falsam esse, secundum §. 687. et 688. eumdem refutauit: hinc defensio facta est (§. 679.).

§. 704. Potest aduersarius thesin controuersam directe refutaturus illam non refutasse (§. 691.). Tunc si defensurus demonstret vel ab aduersario prolata thesin suam non ferire, eaque salua concedi posse, vel conceptum ipsi respondentem non esse impossibilem, vel eamdem non tollere alias propositiones veras et certas, aut ab aduersario adductas tales non esse, vel consectaria ab aduersario ex eadem deducta aut ex eadem non sequi aut non falsa aut incommoda esse, aut talia aut peiora ex antithesi sequi, eumdem refutauit: hinc defensio facta est (§. 679.).

§. 705. Potest aduersarius, argumento ad hominem refutaturus, non refutasse (§. 694.): vel dum circa praemissam defensuro

fenſuro tributam, vel in aſſumta aut aſſumtis errauit, vel illegitime concluſit (§. eod.). Tunc ſi defenſurus primum, aut alterum aut tertium demonſtret, eumdem refutauit: hinc defenſio facta eſt (§. 679.).

§. 706. Defendens aduerſarium refutat (§. 679.). At refutatur, ſi theſin controuerſam impugnauit, ſi antitheſis refutatur (§. 685.). Iam hoc fieri poteſt vel indirecte demonſtratione theſeos controuerſae (§. 690.), vel directe demonſtratione falſitatis antitheſeos ſecundum §. 691. Defendens refutans aduerſarium vel noua theſeos ſuae demonſtratione, vel antitheſeos directa refutatione, defendit ſuam per CONTRAOBIECTIONEM. Ergo poteſt defenſio fieri per contraobiectionem.

§. 707. Defenſurus vult refutare aduerſarium (§. 679.): hinc erroris conuincere (§. eod.): hinc obſeruet reſpectu eiusdem, quae reſpectu cuiusuis conuincendi obſeruanda ſunt ſecundum §. 695. Si aduerſarius refutaturus eſt conſequentiarius vel argumentis ab inuidia vſus (§. 693.), conſulat defenſurus bonae ſuae famae repellendo calumnias, vel probando falſas aut periculoſas ex theſi controuerſa illatus ex eadem non ſequi (§. 704.), vel aliis mediis viro ſemper bono ac morato conuenientibus.

§. 708.

§. 708. Conuictio refutationis ab impugnante non praestitae est DEFENSIO * (§. 679.): *vera* si non tantum videtur sed et est, non vera vel falsa vel adparens (§. 13.); defensio contra consequentiarium est APOLOGIA ** (§. 707.).

* *eine woertliche oder schriftliche Vertheidigung,* ** *eine Schutzschrift.*

§. 709. Defensio falsa et adparens non refutauit aduersarium (§. 708.), et potest ab hoc refutari (§. 680.): vel ostendendo defensionem non refutasse suam refutationem, vel probando illam continere caeteroquin falsa. Quod si fit, aduersarius REPLICAT *, et, quum replicando refutationem suam contra a defendente factam aut tentatam refutationem defensurus sit, omnes habet defendentis partes secundum §. 69'-707. At replicae aduersarii potest opponi alia a defendente. Quam diu hoc ex vtraque parte continuatur, DVRAT CONTROVERSIA (§. 60. 679.).

* *der Gegner ertheilt eine Gegenantwort.*

§. 710. Refutatio aut impugnatio scripta est SCRIPTVM POLEMICVM seu ANTITHETICVM *: vel contra errorem (actualem vel auctori visum) in concreto, hoc est, in subiecto errante, vel errorem propagante directum, STRICTIVS **, vel contra errorem in abstracto a subiectis vel

vel errantibus vel errorem propagantibus LATIVS ſeu LOGICE ANTITHETICVM ***: illud, etſi conuictio errantis de errore non probabilis ſit, in errore damnoſo et cuius propagatio verenda eſt, propter alios; hoc ad augendam de veritate oppoſita conuictionem ſemper vtile. SCRIPTA ſtrictius antithetica reciprocata dicuntur AMOEBAEA ****.

* *eine Streitſchrift,* ** *in engerer,* *** *in weiterer Bedeutung, oder eine blos zur Veberzeugung des Verſtandes vom Gegenſatze gerichtete Widerlegungs-Schrift,* **** *gewechſelte Streitſchriften.*

SECT. III.

DE DISPVTANDO.

§. 711.

Controuerſia coram geſta (§. 679.) eſt DISPVTATIO *; coram controuertentes ſunt DISPVTANTES **, aduerſarius OPPONENS ***, defendens RESPONDENS **** (§. 679.). Complexus regularum de diſputando, ſeu ſcientia diſputandi, eſt DIALECTICA (ſtrictius §. 42.) *****.

* *eine Diſputation, oder gelehrte muendliche Streitigkeit,* ** *die muendlich Streitenden,* *** *der Opponente oder Angreifende,* **** *der Re-*

Respondente oder vertheidigende Theil ..... die Disputierkunst oder Wissenschaft.

§. 712. Quatenus omnis aduersarius vel probationem alicuius, vel thesin controuersam impugnet (§. 685.), antithesin probat, aut saltim probare conatur (§. 679.); omnis defendens vero aduersarium refutaturus imperfectionem probationis antitheseos ab eodem prolatae ostendere, hinc eam diiudicare tenetur: disputatio etiam potest definiri per probationem antitheseos eiusque diiudicationem coram factam: et tunc antithesin probans opponens, oppositionem vero diiudicans respondens est (§. 711.).

§. 713. Potest impugnatio et defensio fieri (§. 711.), seu antithesis probari et diiudicari (§. 712.), vel libero sermone, vel per syllogismos formales (§. 307.), vel per quaestiones. Si primum fiat, DISPVTATIO fit PLATONICA: a fine saepius aberrans, memoriae grauis, formam nimis occultans, et contra methodum rationis (§. 504.). Si alterum, DISPVTATIO fit ARISTOTELICA (scholastica, syllogistica): propter syllogismorum et eorum formalium ad veritatem falsitatemque cognitionis intelligendam insignem vtilitatem, immo

immo neceſſitatem (§. 437.), et incommoda prioris disputandi orationis hoc modo facillime et certiſſime euitanda, ipſi praeferenda. Si tertium: DISPVTATIO ſit SOCRATICA: ad analyſin probationis antitheſeos praeſertim (§. 436.), et reſpondentis circa eiusdem praemiſſas ſeu principia (§. 295.) cognitionem eliciendam, immo illum ad easdem concedendas adigendam, admodum vtilis, ſed, quum, vt methodica ſit, tamen formam disputandi ſyllogiſticam ſequatur (§. 423.), propter prolixitatem cauendam, eiusque ad reſpondentem quaeſtionibus captioſis circumueniendum abuſum facilem, non ſuadenda.

§. 714. Opponens eſt reſpondentis aduerſarius (§. 711.): hinc eumdem refutaturus (§. 679.): ergo omnes habet refutaturi partes. Ergo 1) ante omnia reſpondentem probe intelligat aut interpretetur (§. 681.), vel per interpretationem autenticam ab illo ante ingreſſum conflictus poſtulatam, vel per reliquas regulas hermeneuticas, 2) formet ſtatum controuerſiae ſecundum §. 682. 683. 3) hoc formato vel impugnet probationem reſpondentis ſecundum §. 685 689. vel theſin ab ipſo probatam controuerſam ſecundum §. 690 694. et, vt disputatio fiat ſyllogiſtica (§. 713.),

formet argumentum ſeu elenchum (§. 411.), cuius conclufio vel contra probationem reſpondentis directa ſit, eiusque vitioſitatem aut formalem aut materialem, vel antithesin inferat: 4) vtatur methodo rationis (§. 509. 678) et, propter analyticam in conuictione de vna aut altera propoſitione praeferendam (§. 678.), analytica: hinc formet elenchum refutationis ſuae epiſyllogismum inferens (§. 505. 506.) et 5) formet eumdem minus crypticum (§. 713.), et ad diiudicationem reſpondenti, faciliorem reddendam, ſi finis permittat, ordinarium in prima figura (§. 437.), aut hypotheticum (§. 364. 373), reiectis omnibus otioſis aut ſuperfluis.

§. 715. Reſpondens eſt defendens (§. 711.): ergo omnes habet defenſuri partes: et oppoſitionem refutaturi (§. 679.). Ergo 1) vt pateat, an oppoſitionem ſeu antithesin eiusque probationem ex mente opponentis ſatis perceperit, eamdem et praeſertim argumentum ſeu elenchum opponentis repetat (§. 714.), hoc eſt, aſſumat (§. 698.) 2) ſi ab opponente culpa doloue non intellectus fuerit, interpretatione autentica logomachiam caueat (§. 699.), 3) ſi opponens ſtatum controuerſiae plane non aut male formauit, illum formet aut

corri-

corrigat (§. 700.) 4) in opponentis elencho sollicitus sit de forma, eamque crypticam (§. 403.) reducat ipse, aut sibi reduci curet (§. 713. 356.) 5) vitium formae repertum detegat, aut illud denominando, aut reciprocando, aut comparando (§. 701. 687.), 6) tali nullo reperto, perpendat in elencho opponentis materiam (§. 301. 302.) et quidem primum maiorem, deinde minorem (§. 419. 300.) 7) si obseruat opponentem proposuisse antithesin non probantia, hinc ipsum non ferientia, illa sine vberiore diiudicatione (§. 712.) transmittat, vel etiam concedat (§. 704.) 8) si vero res se contraria ratione habet, vel praemissae elenchi non certae probationem ab opponente poscat, vel eandem falsam statim refutet secundum §. 688. et 706 (§. 696.).

§. 716. Opponens oppositionem suam contra respondentem defensurus (§. 709.) 1) respondentem assumentem, si haesitet, iuuet, aut ex mente sua non adsumenti mentem denuo declaret (§. 715.) 2) si respondens interpretatione autentica coacta controuersiam praescindere sibi male persuadeat (§. eod.), interpretationem suam aequam et regulis hermeneuticis conformem defendat (§. 681.) 3) formam re-

ſpondenti crypticam, ille ſi non reduxerit, reducat (§ 714.) 4) reſpondente vitium formae determinante, aut ab illo elenchum ſuum defendat ſecundum § 701. aut illud corrigat 5) ex ab reſpondente conceſſis vel transmiſſis (§. 715.) deducat antitheſin 6) praemiſſam, cuius probationem reſpondens poſtulat (§. 715.), aut probet eſſe indemonſtrabilem (§. 249.), vel nouo proſyllogismo, vel pluribus concatenatis probet (§. 414.): et 7) eamdem a reſpondente refutatam aut refutari tentatam defendat ſecundum §. 702-706.

§. 717. Reſpondens ad defenſionem opponentis (§. 716.) replicaturus (§. 709.), et ſua contra opponentem porro defenſurus (§. 711.) denuo habet omnes refutaturi ac defenſuri partes (§. 711.): ſicut opponens oppoſitionem ſuam contra nouam reſpondentis refutationem defenſurus (§. 716.). Vtraque pars, quamdiu diſputatio continuatur, tum, ne a fine aberret, et diſputatio inutiliter prolixa fiat, ne deſerat diſputationem ſyllogiſticam (§. 713.), methodicam ſaltim (§. 503.), etſi enthymematica fieri poſſit (§. 524.); tum generales in conuictione alterius obſeruandas regulas logicas et morales ne migret (§. 672.); continuetur vero diſputatio vel vsque

vsque ad conuictionem vnius aut alterius disputantium obtentam, vel quoad alii disputationis fines et eiusdem circumstantiae postulant, aut decenter permittunt.

§. 718. In duratione disputationis finis spectandus est (§. 717.). DISPVTATIO, cuius finis primarius est refutatio, est POLEMICA; cuius ille exercitium, GYMNASTICA; cuius est docere, DIDASCALICA; cuius est examen seu crisis aut tirocinium virium in disputante, DOCIMASTICA; cuius est alteri negotium facessere, ERISTICA; viro bono et morato indigna.

§. 719. PRAESES * in actu disputatorio, est cauturus, ne respondens male defendat (§. 711.), seu antitheseos probationem diiudicet (§. 712.): hinc qua respondentis, si hic partibus suis vel non sufficiat vel desit, vicarius, omnes respondentis partes habet (§. 715.). Si praeter ea moderatoris conflictus auctoritatem habet, vtatur eadem ad disputationem fini (§. 718.), et dialecticae (§. 711.) conuenientissimam ex vtraque disputantium parte promouendam.

* *der Vorsitzende.*

§. 720. Logica demonſtrat regulas cognitionis intellectualis perficiendae (§. 42.). At non fit practica ſeu vtens (§. 45.), niſi ad earumdem ſcientiam accedat earumdem exercitium: hinc tum noëticum, et praeſertim horiſticum, tum theticum, tum dianoëticum, tum empiricum, tum heuriſticum a priori, tum criticum teſtimoniorum, tum hermeneuticum, tum apodicticum, antitheticum et dialecticum (§. 46.):

FINIS.

INDEX.

INDEX.

Abstrahere §. 16
Abstractus conceptus 69
Accommodatio 592
Adficere 208
Aduersaria 85
Aduersarius 679
Aequitas interpretis 596
Amoebaea scripta 710
Amplificationes 210
Analogia 644
in auctore ibid.
Analysis conceptus 119
propositionis 259
syllogismi 436
iudicii intuitiui 470
Antecedens 234
Antithesis 679
Antithetica ibid.
Apodixis 658
Apodictica ibid.
Apogogica demonstratio 691
Apologia 708
Appercipere 3
Argumentum 299
ab inuidia 693
κατ' ανθρωπον 694
Arma sensuum 113
Attendere 16
Auctoris circumstantiae 616
perfectio 587
stilus 635
Auctoritas 570
lectionis 613
testis 570
Auctoritatis praeiudicium 671
Autentica interpretatio 642
Axioma 250
formatur 489
secundarium 491
Categorica propositio 233
Caussa 450
Certitudo 17
completa 19
geometrica ibid.
hermeneutica 589
historica 18
logica ibid.
mathematica 19

Con-

Hi-

Mem-

Petitio

Petitio quaesiti seu principii 412
Phaenomena cum hypothesi philosophica conueniunt 534
ei repugnant ibid.
Philosophari 26
Philosophia 35
antiqua 40
media ibid.
nostra 38
noua 40
Philosophiae partes 37
Polemica scientia 679
Polemicum scriptum 710
Ponere 236
Possibile 87
alicui physice 449
Posterius 214
Postulatum 250
formatur 490
secundarium 491
Praecipitantia in iudicando 532
Praedicatum 207
Praeiudicium 532
auctoritatis 671
contra auctoritatem ibid.
Praemissae 295
Praeses 719
Precaria 528
Principium 9
cognoscendi ibid.
Prius 234
Probabilis cognitio 70
Probare 190. 303
Probatio 303
composita 413
directa 526
insufficiens 517
mixtim composita 420
simplex 413
sufficiens 517
Probationum regressus 422
Probitas lectionis 613
Problema 251
formatur 496
Problematis quaestio, solutio et demonstratio 496
Profundus conceptus 109
Proponere 105
Propositio 206
aequipollens 264
affirmans 213
Propositionis analysis 259
Propositio categorica 233
communis 220
composita 231
conditionalis 233
Propositiones contradictoriae 268
contraponuntur 288
Propositio contraponens ibid.
contraposita ibid.
Propositiones contrariae 270

Quantitas propositionis §. 222
Quantitatis signum ib.
Ratio 8. 9. 29
Ratio fidei et experientiae contradistincta 584
Ratiocinatio polysyllogistica 414
Ratiocinium 7. 299
affirmans 296
latius dictum 293
negans 296
particulare ibid.
singulare ibid.
strictius dictum 293
Ratiociniorum fundamentum generale 297
Reciprocatio 687
Reductio syllogismi 356
secundae figurae 357
tertiae figurae 358. 359
quartae figurae 360-363
Reflectere 60
Refutare 676. 679
Regressus probationum 422
Repugnare alteri 61
Respondens 711
Resolutio 119
Resolubilis conceptus 120
Retorsio 688
Rumor sine capite 559
Saltus in diuisione 404
in probando 435
illegitimus ibid.
legitimus ibid.
Scholion 258
Scientia 32
fidei et experientiae contradistincta 584
Scripta amoebaea 710
Scriptum acroamaticum 656
dogmaticum ibid.
historico-dogmaticum ibid.
historicum ibid.
polemicum 710
logice seu latius ibid.
strictius ibid.
scientificum 656
systematicum ibid.
Sensus orationis 585
absurdus vel incongruus 604
absolute et relatiue talis ibid.
illatus 591
immediatus 586
improprius ibid.
innatus 591
intentus 590
litterae 586
litteralis ibid.
mediatus ibid.
mysticus ibid.

Digitized by Google

Vari-

INDEX.

ERRATA.

§. 16. lin. 2. pro *alii* lege aliis. §. 19. l. 4. pro *geometrice complete* l. geometrice, complete. l. 6. pro *geometrica completa* l. geometrica, completa. §. 98. l. 5. pro *cognoscendis* l. cognoscentis. §. 231. l. 4. pro *quae* l. qua. §. 257. l. 3. pro PROBLEMA; *latius*, l. problema latius; l. 4 pro *strictius breuioris* l. strictius; breuioris. §. 282. l. 2. pro *subiecto soli* l. subiecto ipsi soli. §. 295. l. 8. post PRAEMISSAE* deleatur asteriscus. §. 296. l. 4. pro *late* l. tale. §. 383. l. 2. deleatur *cornutus*. §. 412. l. 6. post *sophismate*, deleatur comma. §. §. 417. et 418. semper pro *prosyllogismus* episyllogismus et pro *episyllogismus* prosyllogismus legendus est. Hinc etiam §. 419. l. 7. pro *episyllogismorum* l. prosyllogismorum, et l. 8. 9. pro *episyllogismi maioris episyllogismis minoris* l. prosyllogismi maioris prosyllogismis minoris. §. 456. l. 2 pro *ne*, *abesse*, l. re abesse. §. 457. l. 6. post *cognoscitur* ponatur comma. §. 524. l. 7. pro *enthymematibus* l. enthymematicis §. 537. l. 3. post *facti* ponatur comma. §. 542. l. 2. pro *dignam* l. dignum.

* * *

Verzeichniß

dererjenigen Bücher, so Carl Hermann Hemmerde, auf Eigene Kosten, drucken lassen.

Oster-Messe, 1765.

Abts, Thomas, Leben und Character Alexander Gottlieb Baumgartens, 8.

Baumgarten, *Alexander Gottlieb*, acroasis Logica, aucta et in systema redacta a Ionnne Gottlieb Toellnero, 8.

Försters, Johann Christian, Charactere dreyer berühmter Weltweisen, nähmlich Leipnitzens, Wolfs und Baumgartens 2te verbesserte Auflage, 8.

Meiers, Georg Friedrich, Gedanken von dem unschuldigen Gebrauch der Welt, 8.

- - Sendschreiben an Herrn Inspector und Pastor Samuel Gotthold Langen, wegen Absterben seines Sohns, 8.

Schuberts, Johan Ernst, heilige Reden, auf ausserordentliche Fälle, 8.

Sci-

Digitized by Google

Seidels, Christoph Timotheus, Grundriß von heiligen Reden über die Sonn- und Fest-Tags Evangelien durchs ganze Jahr 1r Theil, andre Auflage, 8.

Semlers, Johann Sam. Vorbereitung zur theologischen Hermenevtik 3tes Stück, über die Bücher neuen Testaments, 8.

Thorschmids, Urban Gottlob, Versuch einer Freydenker-Bibliothek, in welcher alle Schriften der berühmtesten Freydenker nach ihrem Inhalt und Absicht, nebst den Schutzschriften für die christliche Religion aufgestellet werden, 1r Theil, 8.

Tiede, Joh. Fried. moralische Reden, auf alle Sonn- und Fest-Tage, 1r Theil, 8.

Zopfens, Johann Heinrich, erläuterte Grundlegung der Universal-Historie, bis aufs Jahr 1765. nebst einem historischen Examine und Register, 13te vermehrte Auflage, 8.

Unter

Digitized by Google

Unter der Presse sind folgende.

Baumgartens, *Sigm. Iac.* primae lineae breuiarii antiquitatum Christianorum edit. II. auctior et emendat. 8.

Krügers, Joh. Gottlob, Naturlehre 4r Band, welcher die Chymie enthält, 8.

Semlers, Joh. Sam. historische und kritische Samlung über die sogenannten Beweisstellen in der Dogmatik, 2tes Stück, 8.

Zieglerin, Joh. Charlotte Grundriß einer Weltweisheit für das Frauenzimmer, mit Anmerkungen und einer Vorrede von Joh. Gottlob Krüger 2te vermehrte Auflage, gros 8.



Digitized by Google

Digitized by Google